This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

BT
1130
.K85

CHRISTIANI KORTHOLTI,
Holſati, S. Theologiæ D. ejusdemque
in Academia patria Profeſſoris
Ordinarii,

DE CALUMNIIS PAGANORUM IN VETERES CHRISTIANOS SPARSIS TRACTATUS.

KILONI,
Ex Officina libraria Simonis Beckenſteinii &
Chriſtiani Gerlachii.
Literis Joachimi Reumanni, Typogr. Academici.
M DC LXVIII.

REVERENDISSIMO, SERENISSIMOQUE PRINCIPI AC DOMINO,

DN. AUGUSTO FRIDERICO,

ELECTO EPISCOPO LUBECENSI, HÆREDI NORVAGIÆ, DUCI SLESVICI, HOLSATIÆ, STORMARIÆ AC DITHMARSIÆ, COMITI IN OLDENBURG ET DELMENHORST,

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO,

S. D.

CHRISTIANUS Kortholt / D.
Academiæ Kilonienſis hodie Pro-Rector, & Collegii Theologici Decanus.

Re-

Reverendiſſime & Sereniſſime Princeps, Domine Clementiſſime,

DE AUGUSTO Cæſare memoria proditum novimus, quod certatim ſua ipſi opera obtulerint, quibuscunque divulgare quippiam animus eſſet, nullo fine in honorem ejus multa condentes. Nimirum quia impenſe bonarum literarum cultores amabat Princeps optimus, eorumque lucubrationes æſtimabat, non poterant illi venerationem, quam tanto Patrono debebant, rectius quam librorum nuncupatione teſtari. Quam clementi affectu Tu, Sereniſſime Princeps AUGUSTE-FRIDERICE, Muſarum filios complectaris, norunt quotquot Te norunt. Quid mirum igitur, ſi, ut olim AUGUSTI Imperatoris, ita nunc Tuo auguſto nomini vigilias ſuas ingeniique conſecrent monumenta clientes? Vix habent quod viris Principibus afferant qui ſtudiis vacant, niſi chartacea iſtiusmodi munuſcula. Solent autem, cum Plutarcho Charonenſi, Apophthegmata ſua Trajano Auguſto inſcribente, exemplo ſe ſolari hominis illius plebeji, qui, cum utraque manu hauſtam e profluente aquam (neque enim aliud munus habebat) Artaxerxi offerret, neu-

tiquam

12-1-30

tiquam repudiatus, ſed hilari potius vultu a magno illo Perſarum Rege eſt admiſſus, ex animo potius & affectu offerentis, quam rei oblatæ dignitate donum illud æſtimante. Ego dum præſens hoc opuſculum Tibi porrigo, Domine, idem mihi fatum precor. Levidenſe & ipſum munus, quodq; ni rerum, de quibus heic agitur, dignitatem, pectusq; ſpectare velis offerentis, nihil omnino habet, quo Tuæ ſe Celſitudini commendet. Eſto proinde mihi heic ARTAXERXES, *Clementiſſime Princeps, nec munusculum reſpue, quod ab animo venerationis Tui pleniſſimo profectum: eſto* AUGUSTUS, *vultuq; adſpice benigno meas iſtas chartas; ceteræ quidem oppido tenues; ſi tamen conſideres, quod priſcæ illius adverſus hoſtem infernalem ejusq; gregales militantis Eccleſiæ genuinam faciem ſiſtunt, Principe Chriſtiano nullatenus indignas; certe longe nobiliores, quam quæ Octavio illi Auguſto a ſuis Virgiliis & Horatiis potuere unquam offerri.* DEum *veneror, ut Te, Reverendiſſime & Sereniſſime Princeps, ſalvũ, incolumem ac florentem quam diutiſſime præſtet, omnique benedictionis genere cœlitus cumulet! Scribo Kilonii Holſatorum, VI Id. Febr. cIↄ Iↄc LXIIX.*

DE

Butler
De Criscio
6-24-1925
9194

בש״ש

DE

CALUMNIIS IN VETERES CHRISTIANOS A GENTILIBUS SPARSIS.

CAPUT I.

DE ONOLATRIA CHRISTIANIS OBJECTA.

INter nefanda illa convitia, quibus CHRISTI cultores olim inſectabantur Pagani, primum merito locum obtinet, quod aſini caput ab iis coli mentiebantur. *Audio*, inquit Cæcilius apud Minutium Felicem in Octavio, *eos turpiſſimæ pecudis caput aſini conſecratum inepta neſcio qua perſuaſione venerari*. & Tertullianus: *Somniaſtis, caput aſininum eſſe* DEUM *noſtrum*; Apologet. cap. XVI: ubi & paulo poſt narrat, vidiſſe ſe Chriſtianorum DEUM a ſpurciſſimo quodam nebulone auribus aſininis pictum. *Nova jam*, ait, DEI *noſtri in iſta civitate* (Roma) *proxime editio publicata eſt, ex quo quidem*

dem in fruſtrandis beſtiis mercenarius noxius picturam propoſuit cum ejuſmodi inſcriptione: DEUS CHRISTIANORUM ONYNICHITES. *Is erat auribus aſininis, altero pede ungulatus, librum geſtans, & togatus. Riſimus & nomen & formam.*

Onynichites.

Picturæ iſtius autorem Judæum fuiſſe apoſtatam, idem docet Tertullianus libro I ad Nationes, cap. XIV, ubi paulo aliter monſtroſum iſtud monſtroſi DEI nomen exprimitur. Verba hæc ſunt: *Nova jam de* DEO *noſtro fama ſuggeſſit. adeo nuper quidam perditiſſimus in iſta civitate, etiam ſuæ religionis deſertor, ſolo detrimento cutis Judæus, utique magis poſt beſtiarum morſus, ad quas ſe locando quotidie toto jam corpore decutit, cum incedit; picturam in nos propoſuit ſub iſta proſcriptione:* ONOCHOETES. *Is erat auribus canteriorum, & in toga, cum libro, altero pede ungulato. & credidit vulgus Judæo. Quod enim aliud genus ſeminarium eſt infamiæ noſtræ? Itaq; in tota civitate Onochoetes prædicatur.*

Onochoetes.

II. Porro & originem opprobrii hujus calumniæque indicato Apologetici loco e Tacito exponit Tertullianus, *Hanc,* inquiens, *Cornelius Tacitus ſuſpicionem ejuſmodi inſeruit. Is enim in quinto Hiſtoriarum ſuarum, bellum* Judaicum *exorſus ab origine gentis, etiam de ipſa tam origine, quam de nomine & religione gentis, quæ voluit, argumentatus,* Judæos *refert, Ægypto expeditos, ſive, ut putavit, extorres, in vaſtis Arabiæ locis aquarum egentiſſimis, cum ſiti macerarentur, onagris, qui forte de paſtu potum petituri æſtimabantur, indicibus, fontibus uſos: ob eam gratiam conſimilis beſtiæ ſuperficiem conſecraſſe. Atque ita inde, opinor, præſumptum, nos quoque, ut Judaicæ religionis propinquos, eidem ſimulacbro initiari.* Eadem habentur libro I ad Nationes, cap. XI. Verba autem Taciti hæc ſunt: *Plurimi auctores conſentiunt, orta*

Taciti fabula de Iudæis.

ta per Ægyptum tabe, quæ corpora fœdaret, Regem Occhorim, adito Hammonis oraculo, remedium petentem, purgare regnum, & id genus hominum, ut inviſum Deis, alias in terras avehere juſſum. Sic conquiſitum collectumque vulgus, poſtquam vaſtis locis relictum ſit, ceteris per lacrymas torpentibus, Moſen, unum exulum, monuiſſe, ne quam Deorum hominumve opem expectarent, ab utrisque deſerti; ſed ſibimet ut duci cœleſti crederent, primo cujus auxilio credentes, præſentes miſerias pepuliſſent. Aſſenſere, atque omnium ignari fortuitum iter incipiunt. Sed nihil æque quam inopia aquæ fatigabat. Jamque haud procul exitio, totis campis procubuerant, cum grex aſinorum agreſtium e paſtu in rupem nemore opacam conceſſit. Secutus Moſes, conjectura herbidi ſoli, largas aquarum venas aperit. & mox: *Effigiem animalis, quo monſtrante errorem ſitimque depulerant, penetrali ſacravere.* Eandem rationem affert Plutarchus lib. IV Sympoſ. qu. V. Quam quidem ex Gen. XXXVI, 24. gentes hauſiſſe, lib. III Miſcellan. ſacr. cap. IIX, conjectat Nicolaus Fullerus. Scilicet Horæorum ibi Principum genus deſcribens Moſes, ubi Ana mentionem facit, *Is eſt*, inquit, *Ana, qui invenit* את הימם *in deſerto, cum paſceret aſinos Sibeonis patris ſui.* Ad quem locum Hieronymus Quæſt. Hebr. in Geneſin: *Multa & varia apud Hebræos de hoc capitulo diſputantur. Apud Græcos quippe & noſtros ſuper hoc ſilentium eſt. Alii putant,* Jamim *maria appellata: iiſdem enim literis ſcribuntur maria, quibus & nunc hic ſermo deſcriptus eſt. Et volunt, illum, dum paſcit aſinos patris ſui in deſerto, aquarum congregationes reperiſſe, quæ juxta idioma linguæ Hebraicæ maria nuncupantur; quod ſcilicet ſtagnum repererit. Nonnulli putant, aquas calidas* (ita ſane vulgatus Latinus,) *juxta Punicæ linguæ viciniam, quæ Hebrææ contermina*

eſt, hoc vocabulo ſignari. Diodorus Tarſenſis, Expoſitione in Geneſin, ſcribit: ὁ Σύρος καὶ Ἑβραῖος τὸν ἰαμεὶν ὕδωρ βούλονται λέγειν· ἀντὶ τοῦ εὗρε πηγὴν ἐν ἐρήμῳ. Nempe qui ita Moſis verba interpretantur, in Hebræo legunt הַיַּמִּם, cum hodierni noſtri codices habeant הַיֵּמִם, ut ſenſus Moſaici textus ſit, Horæum Principem *mulos* reperiſſe; *quod* videlicet *equarum greges ab aſinis in deſerto ipſe fecerit primus aſcendi, ut mulorum inde nova contra naturam animalia naſcerentur*, ceu loquitur Hieronymus.

Aſinini capitis veneratio Iudæis affictа. III. Quidquid autem ſit de Fulleri conjectura, (cui ſi quis calculum adjicere velit, neceſſe ſit fateatur, quod de aquis ab Ana inventis, juxta nonnullorum interpretationem, dicit Geneſis, Moſi perperam ab ethnicis tribui,) id certum eſt, convitium de aſini-capite Judæis culto, undecunque etiam illud hauſtum, (certe Jo.
Ex. 13, 13. Seldenus lib. II de jure naturali, cap. I, ex ſingulari aſini primogeniti redimendi jure ac more, gentilibus perperam intellecto, natum putat) longe lateque inter Paganos fuiſſe ſparſum. Sane & Appionem, illuſtrem illum Grammaticum, ſuis eam commentariis infarſiſſe, ex Joſepho novimus, qui, lib. II contra ipſum, cap. X. *In hoc*, ait, *ſacrario* (de templo Ieroſolymitano loquitur) *Apion præſumpſit edicere aſini caput collocaſſe Judæos, & ipſum colere, ac dignum facere tanta religione: & hoc affirmat fuiſſe propalatum, dum Antiochus Epiphanes & exſpoliaſſet templum, & illud caput inveniſſet ex auro compoſitum, multis pecuniis dignum.* Spectat huc etiam illud Petronii Arbitri in Satyrico, juxta quidem lectionem Fr. Pithœi:

Judæus licet & porcinum numen adoret,
& cilli ſummas advocet auriculas.

πολλὸς

κιλλὸς enim, Heſychio & Polluce teſtibus, *Aſinum* notat Doribus. Quanquam alii pro *cilli* heic legant *cæli*. Mendacium mendacio auget Damocritus apud Svidam, dum non tantum Judæos aureum iſtud aſini caput adorare, ſed & *tertio quoque anno hoſpitem captum ei immolare* ſcribit. Confer eundem Svidam etiam in *Judas*. Porro huc referri poteſt, quod in Excerptis e Diodori Siculi lib. XXXIV legitur, Antiochum videlicet Epiphanem, Judæis ſubactis, in templi Ieroſolymitani aditis reperiſſe ſtatuam lapideam, figuram humanam barba promiſſa, quæque aſino inſideret, & librum manibus teneret, referentem; quam Moſis imaginem eſſe judicaverit nefarius ille tyrannus.

IV. Sed ſatis de veneratione capitis aſinini Judæis objici ſolita. Qui autem factum, ut commento illo aſinino etiam Chriſtiani fuerint onuſti, ſupra e Tertulliano audivimus, quoniam nempe *Judaicæ religioni* illi erant *propinqui*. Et ſane, qui Deos gentilium ſpernebant, nec facere iis volebant, hos, ſive Judæi, ſive Chriſtiani fuerint, cum ſcilicet Chriſtianorum nomen, primis naſcentis Eccleſiæ ſeculis, haud ita eſſet profanis ſeorſim cognitum, communi Judæorum appellatione ipſos inſigniviſſe conſtat, noſque teſtimonio non uno id firmamus in tractatu de Perſecutionibus Eccleſiæ, proœm. num. III, ſect. II, 6, & ſect. V, 33. Interim & Gnoſtici forte, illi hæreticorum ſpurciſſimi, anſam calumniæ huic dare potuerunt. Ediderunt quippe, Epiphanio teſte, librum, cui titulus, ἡ γέννα Μαρίας, ſeu *ſtirps Mariæ*, in quo mira de Zacharia, ob aſininum numen, inter ſacrificandum ab eo conſpectum, & vulgo proditum, perempto, fabulati ſunt. Verba Epiphanii, quæ leguntur hæreſi XXVI, ita habent: *Inquiunt,*

Origo calumnia de aſini capite Chriſtianis ſacro.

Gnoſticorum commenta aſinina.

Zachariam occiſum eſſe in templo, quoniam viſionem vidit, & ex timore volens narrare viſionem, oris obturationem pertulit. Vidit enim (inquiunt) in hora ſuffitus hominem quendam ſtantem, aſini formam habentem. et cum egreſſus eſſet, ac dicere vellet: Væ vobis! quem adoratis? obturavit os ejus ille, qui viſus eſt ab ipſo in templo, ut loqui non poſſet. Cum vero aperiret os ſuum ut loqueretur, tunc revelavit ipſis, & occiderunt eum. & ſic mortuus eſt. Hæc de Gnoſticis Epiphanius. Qui præterea addit, juxta aliquos illorum, Dominum Sabaoth, quem cœli & terræ conditorem credant, aſini figuram habere; ſicut porci formam eidem tribuant alii.

Animalia bruta a gentilibus culta.

V. Obſerva autem, quam facete cavillantes ethnicos heic reprehendat Tertullianus, loco Apologetici ſupra laudato. *Vos non negabitis*, inquit, *& jumenta omnia, & totos cantherios* (equos caſtratos) *cum ſua Hippona* (ſtabulorum Dea, quæ *Epona* alias) *coli a vobis. Hoc forſitan improbandum, quod inter cultores omnium pecudum beſtiarumque Aſinarii tantum ſumus.* Similiter libro I ad Nationes, cap. XI, *Credatur*, ait, *Deus noſter aſinina perſona: certe negabitis vos eadem habere nobiscum? Sane vos totos aſinos colitis, & cum ſua Epona, & omnia jumenta, & pecora, & beſtias: quæ perinde cum ſuis præſepibus conſecratis. Et hoc forſitan crimini datis, quod inter cultores omnium tantum Aſinarii ſumus.* Id vult dicere, ut apparet: Cur ob aſini venerationem nos Chriſtianos exagitetis vos ethnici, cauſæ nihil habetis; quandoquidem & ipſi eos colitis. Niſi hoc forſan male vos habet, quod in ſolius aſini cultu nos acquieſcimus, (uti quidem vobis habetis perſuaſum) nec, perinde ut vos, omnia promiſcue bruta divino honore afficimus. Tertulliano junge Minutium Felicem; apud quem ita ad

Cæci-

Cæcilium Octavius: *Audire te dicis, caput aſini rem nobis eſſe divinam. Quis tam ſtultus ut hoc colat? quis ſtultior ut hoc coli credat? Niſi quod vos & totos aſinos in ſtabulis cum veſtra Epona conſecratis, & eosdem aſinos cum Iſide religioſe devotatis: item boum capita, & capita vervecum, & immolatis, & colitis: de capro etiam & homine mixtos Deos, & leonum & canum vultus, Deos dedicatis. Nonne & Apim bovem cum Ægyptiis adoratis & paſcitis? nec eorum ſacra damnatis, inſtituta à ſerpentibus, crocodilis, belluis ceteris, & avibus, & piſcibus: quorum aliquem Deum ſi quis occiderit, etiam capite punitur.* Sed & de monſtroſa Onynichitæ ſive Onochoetæ forma Tertullianus loco proxime citato cap. XIV, *Videamus*, inquit, *an hic quoque nobiscum deprehendamini. Neque enim intereſt, qua forma, dum de forma ſimulacra curemus. Sunt penes vos, & canino capite, & leonino, & de bove, & de ariete, & hirco-cornuti Dii, caprigenæ, vel anguini, vel alites planta, fronte, & tergo. Quid itaque noſtrum unicum denotatis? Plures Onochoetæ penes vos deprehenduntur.* Eadem habet in Apologetico c. XVI. Similiter Athanaſius, oratione contra Gentes, Ægyptiorum narrat κυνοκεφάλους, ὀφιοκεφάλους, ὀνοκεφάλους, χελωνοκεφάλους; & Porphyrius, libro περὶ τῆς τῶν ἐμψύχων ἀποχῆς (unde repetit Euſebius libro III Præpar. Evangel. cap. II) de iisdem refert, quod ad θεοποιΐαν aſſumpſerint omne animal, pecudumque & hominis, avium item & hominis corpora commiſcuerint. Vide porro Ciceronem libro V Tuſcul. quæſtionum, lib. I de Legibus, lib. III de Natura Deorum, Diodorum Siculum libro II & XX, Plutarchum Sympoſiac. libro IV, quæſt. V, Plinium lib. X Hiſt. Nat. cap. XXIIX, & lib. IX, cap. X, Athenæum lib. VII & IX, Pomponium Melam lib. I, cap. IX, Varronem libro

III de

III de Re ruſtica, cap. ult. Phurnutum libro de Natura Deorum, Juvenalem ſatyra XV, Higinum fabula CXCVII, Artemidorum libro I Onirocrit. cap. IX, Clementem Alex. in Protreptico, Arnobium libro VI, Origenem libro III contra Celſum, Lactantium libro V, cap. XX, Chryſoſtomum homilia V ad populum, Theodoretum libro III contra Græcos, Prudentium libro I contra Symmachum, Autorem Commentarii in Epiſtolas Paulinas, qui Ambroſio vulgo tribuitur, ad Rom. I, Autorem hiſtoriæ Barlaami, qui Damaſcenus vulgo creditur, cap. XXVII, Ælianum lib. VII Hiſtoriæ animal. cap. XIIX, lib. X, cap. XIX, XXI, XXIII, XXIV, XXVII, XXXI, XLVII, lib. XI, cap. IIX, lib. XII, cap. II, V, XL, lib. XVII, cap. V; præſertim autem lib. X, cap. XXIIX, ubi hæc diſerte habentur: Ὦχος ὁ Πέρσης ἐξεθέωσε τὸν ὄνον. Tandem & Taciti de Judæis narrationem falſitatis inde arguit Tertullianus, quod contrarium paulo poſt teſtetur ipſemet, quando nempe ſcribat, Pompejum, templum Ieroſolymitanum ingreſſum, nullam ibi aſini effigiem reperiſſe. *At enim*, inquit in Apologetico, ubi ſupra, *idem Cornelius Tacitus, ſane ille mendaciorum loquacisſimus, in eadem hiſtoria refert, Cn. Pompejum, cum Hieruſalem cepiſſet, proptereaque templum adiiſſet, ſpeculandis Iudaicæ religionis arcanis, nullum illius reperiſſe ſimulacrum.* Taciti verba ſunt: *Romanorum primus Cn.* Pompejus Judæos *domuit, templumque jure victoriæ ingreſſus eſt. Inde vulgatum, nulla intus DEûm effigie vacuam ſedem, & inania arcana.* Potuiſſet & hæc ejusdem, quæ, interjectis aliquibus, ſed illo ipſo libro, præcedunt, adverſus eum urgere: *Ægyptii pleraque animalia effigiesque compoſitas venerantur: Judæi* MENTE SOLA UNUMQUE NUMEN *intelligunt. Summum illud & æternum, neque mutabi-*

Tacitus ſibi ipſi adverſus.

tabile, neque interiturum. Igitur NULLA SIMULACRA *urbibus ſuis, nedum templis ſunt.*

CAPUT II.
DE
HELIOLATRIA.

POrro Chriſtiani inſimulati ſunt, quod Solem pro DEO ſuo haberent; uti rurſum teſtis eſt Tertullianus in Apologetico cap. XVI. qui & mox occaſionem hujus calumniæ ſubjungit; *Inde ſuſpicio*, ſcribens, *quod innotuerit, nos ad Orientis regionem precari.* Vide etiam lib. I ad Nationes cap. XIII. Et ſane moris hujus, quod nempe adoraturi ad Orientem ſe converterent Chriſtiani veteres, paſſim apud antiquos mentio. Eumque *a magno Pontifice atque ejus filiis*, hoc eſt, ab ipſo CHRISTO & Apoſtolis, *traditum* eſſe *&* *commendatum*, affirmat Origenes hom. V in Numer. quanquam, ut ibidem addit, *ratio ejus non omnibus pateat*, ſive, ut mox loquitur, *non facile cuiquam*, cur id fiat, ſit *compertum.* Ubi tamen, quemadmodum prius illud, ab ipſomet CHRISTO Domino ritum iſthunc manaſſe, haud dubie ſine aliorum ſcriptorum ſuffragio aſſeritur: ita, quantum ad poſterius, varii varias conſuetudinis hujus rationes afferunt.

Mos orandi verſus Orientem apud priſcos Chriſtianos.

II. Nempe Autor Reſponſionum ad Orthodoxos (qui vulgo, licet perperam, Juſtinus Martyr creditur) quæſt. CXIIX, ideo ſic oraſſe veteres ait, quod, quæ apud nos meliora & præſtantiora ſunt, ad DEI honorem ſecernamus;

mamus; hominum autem opinione pars ea, in qua Sol oritur, ceteris creatæ naturæ partibus ſit præſtan tior. Verba ipſius ſunt: *Quandoquidem apud nos præſtantiſſima quæque* (τιμιώτερα, honoratiora, digniora, excellentiora,) *ad honorem & venerationem* DEI *deſtinamus, opinione autem hominum præſtabilior eſt Oriens aliis creaturæ partibus, eam ob rem orationis tempore vultu ad Orientem omnes convertimur: perinde atque dextra manu in nomine Chriſti eos ſignamus, qui ſigillo tali indigent, eo quod præſtare ſiniſtræ putetur, quamvis poſitura, & non natura ab illa differat. Non aliter & Oriens, ut præſtantior creaturæ pars, ad Deum adorandum eſt deſignata.* Similiter Damaſcenus libro IV de orthodoxa fide, cap. XIII: πᾶν καλὸν τῷ Θεῷ ἀναθετέον, ἐξ οὗ πᾶν ἀγαθὸν ἀγαθύνεται, *Omne bonum,* ſive præ ceteris excellens, DEO *offerendum, qui omne bonum benigne largitur.* Sed & in eandem ſententiam Auguſtinus, libro II de ſermone Domini in monte, *Cum adorationes ſtamus,* inquit, *ad Orientem convertimur, unde cœlum ſurgit: non tanquam ibi ſit* DEUS, *& quaſi ceteras mundi partes deſeruerit, qui ubique præſens eſt, non locorum ſpatiis, ſed majeſtate potentiæ; ſed ut admoneatur animus ad naturam excellentiorem ſe convertere, id eſt, ad Dominum, cum ipſum corpus ejus, quod eſt terrenum, ad corpus excellentius, id eſt, ad corpus cœleſte convertitur.* Quæ Auguſtini ſua facit & verbotenus exſcribit Alcuinus, ille Bedæ diſcipulus, Caroli autem M. Præceptor, libro II de Trinitate, cap. V. Sed & iis conformiter Thomas, II ſecundæ, quæſt. LXXXIV, art. III, orari dicit verſus Orientem *propter divinæ majeſtatis indicium, quod nobis manifeſtatur,* ait, *in motu cœli, qui eſt ab Oriente.* Confer, quæ ex Lactantio producimus infra num. IIX.

III. Alii,

III. Alii, & quidem plerique, verſus Ortum preces perſolvi ajunt, quod Paradiſus illic fuerit ſitus. Ita Baſilius M. de Spiritu ſancto cap. XXVII, *Omnes*, inquit, *ſpectamus ad Orientem, cum precamur: pauci tamen novimus, quod, id facientes, antiquam requirimus patriam, videlicet Paradiſum, quem conſeruit Deus in Eden ad Orientem.* Similiter Autor Quæſtionum ad Antiochum, quæ Athanaſio ſolent tribui, quæſt. XXXVII, ad Orientem orari ſcribit, *ut ad Paradiſum reſpiciamus, unde excidimus, tanquam veterem noſtram patriam & ſedem, rogantes Deum ad Dominum, ut illuc nos reducat, unde ſumus pulſi.* Gemina leguntur in Conſtitutionibus Apoſtolicis, quæ ſub Clementis Romani nomine extant, libro II, cap. LXI, apud Cyrillum Ieroſolymitanum Catecheſi myſtagogica I, Germanum, Patriarcham Conſtantinopolitanum, in Theoria rerum Eccleſiaſticarum, Damaſcenum, ubi ſupra. Urgetque eandem rationem etiam Thomas, loco paulo ante laudato. Quanquam, ſi recte rem expendas, merito in ea aliquid deſideretur. Quo de audi Jo. Gerh. Voſſium, libro II de Idololatria, cap. III. *Non ignoro*, ait ille, *Gen. II legi, Deum creaſſe Paradiſum* κατ' ἀνατολὰς, *in Oriente; ut & Hebrea ſonant, & Septuaginta reddiderunt. Sed Moſes ita ſcribere potuit ratione loci, in quo ipſe degebat. At quid dicemus de iis gentibus, quibus Paradiſus erat ab Occidente? ſiquidem Apoſtolorum (quibus priſci hoc inſtitutum vulgo deferunt) alii in Orientem, alii in Occidentem prædicatum abierunt. Num ergo Græcus Orientem, Indus Occidentem intuebitur? At hoc repugnat illi, quod putant, omnibus oculos eſſe convertendos ad eam cœli plagam, unde Sol exoritur.*

IV. Alii, ritus orandi, de quo agimus, hanc afferunt

rum cauſam, quod CHRISTUS Dominus noſter in Scripturis ſacris vocetur *Oriens*, ἀνατολή, Jer. XXIII, 5. Zach. III, 8. VI, 12. (juxta quidem interpretationem LXXviralem, quæ ſic reddidit Hebræum צמח) Luc. I, 78. Ita Hieronymus ad Amoſ. VI, Germanus Conſtantinopolitanus, Damaſcenus, Thomas, locis ante indicatis: ſed & VValafridus Strabo, libro de rebus eccleſiaſticis cap. IV; cujus hæc ſunt verba: *Sicut ab Oriente lucis adventum ſuſcipimus corporeæ: ſic in orationibus illuminari ſuper nos vultum illius depoſcimus, de quo ſcriptum eſt: Ecce vir, Oriens nomen ejus; &: Viſitavit nos Oriens ex alto.* Quibus VValafridi gemina omnino ſunt, quæ habentur in precibus Syrorum, quas Abecedarias vocant. Sub ortum enim Solis facies ſuas ad Orientem ipſos vertere ſcribit autor, & hunc in modum orare; *In lumine tuo videbimus lumen, JESU plene lumine: quia tu es verum lumen, quod illuminat omnes creaturas. Illumina nos in lumine tuo eminente, quod eſt Patris cœleſtis ſplendor.* Vide Bibliothecæ Patrum tomum VI; & adde, qui itidem huc facit, locum Ambroſii infra num. IIX citatum. Porro notetur, quod memoratum Jeremiæ locum ad mentem τῶν LXX expreſſerit etiam Arabs, loca vero Zachariæ & hic, & præterea Syrus. Notetur item, Paraphraſten Syrum τὸ ἀπαύγασμα, quod eſt Hebr. I, 3. vertiſſe צמחא. Sed & hoc obſervetur, quod Juſtinus Martyr, dialogo cum Tryphone Judæo, aliquoties CHRISTUM vocet ἀνατολὴν, quodque Tertulliano Oriens *CHRISTI figura* dicatur, libro contra Valentinianos cap. III.

V. Autor jam ſupra laudatus Quæſtionum ad Antiochum etiam hanc affert rationem: *Quia DEUS lux vera (Φῶς ἀληθινὸν) eſt & dicitur, eam ob cauſam ad creatum i-*

ſtud

ſtud lumen (Solem orientem) *converſi, non illud, ſed creato-rem ejus adoramus.* Confirmat hæc Leo M. ſermone VII de Nativitate, dum ait, ad ortum Solis orantes, *creatorem potius pulchri luminis, quam ipſum lumen, quod eſt creatura, venerari.* Sed & Hieronymus, loco ante memorato, aſſerit, in myſteriis *ad Orientem converſos fœdus ferire cum Sole Juſtitiæ*; & Damaſcenus, itidem ſupra citato loco, ait: *Quia* DEUS *eſt lux intelligibilis* (Φῶς νοητὸν) *& Sol Juſtitia, — dedicandus illi Oriens eſt ad adorationem.* Similiter Thomas ad Ortum preces dirigi ſcribit, *propter* CHRISTUM, *qui eſt Lux mundi.* Facit quoque huc illud Lactantii, libro II Divinarum Inſtitutionum cap. IX: *Oriens Deo cenſetur, quia ipſe luminis fons, & illuſtrator eſt rerum, & quod oriri nos faciat ad vitam ſempiternam.*

VI. Porro Damaſcenus ideo etiam ad Orientem preces fundi ſcribit, quod Dominus, in cruce conſtitutus, verſus Occaſum ſpectaverit, indeque nos, tanquam converſi ad CHRISTUM in cruce pendentem, reſpectare debeamus in Ortum; quodque idem, cum in cœlum tenderet, vultum Orienti obverterit, & Apoſtoli orantes faciebus itidem eo directis aſcendentem proſecuti ſint; denique, quod inde rediturus ſit Dominus ad judicium. Et de primo quidem ita heic ſcribit Damaſceni Commentator: *ſicut Judæi* CHRISTUM *extra portam ejecerunt, ut crucifigerent, tanquam maleſactorem, & indignum, quem urbs ipſa contineret: ita & facie verſa ad oppoſitam urbi partem eundem ipſum crucifixiſſe ſatis veritati conſentaneum videtur, tanquam minus dignum, qui urbem contueretur. Quare facie ad Occidentem converſa crucifixus eſt. Et hinc, ut conjectare licet, in templis & baſilicis noſtris Dominus noſter figuratur ad*

Occidentem crucifixus. Quem, ubi primum templa ſubimus, oculis noſtris objectum cernentes, proni, facie ad ipſum converſa, Orientem verſus CHRISTUM *adoramus.* Poſteriora autem duo ex ipſis Scripturis ſacris probare nititur Damaſcenus. Nempe quod ad Orientem aſcenderit Chriſtus, conſtare putat ex illo Pſalmi LXIIX, 34. *ψάλατε τῷ κυρίῳ τῷ ἐπιβεβηκότι ἐπὶ τὸν οὐρανὸν τοῦ οὐρανοῦ κατὰ ἀνατολὰς, Pſallite Domino, qui aſcendit ſuper cœlum cœli ad Orientem:* quod vero inde etiam rediturus ſit Dominus ad judicium, probat ex eo Matthæi XXIV, 27. *Sicut fulgur exit ab oriente, & apparet usque ad occidentem, ita etiam erit adventus Filii hominis.* Prius dictum pro eadem ſententia etiam urget Germanus Conſtantinopolitanus, loco ſupra notato, & Commentarius in Pentateuchum Arabicus mſcr. apud Jo. Seldenum, libro *III* de Synedriis veterum Ebræorum cap. XVI; poſterius canon Arabicus, quem ex Conſtitutionibus, ut vocantur, Apoſtolicis, qui manuſcripti in Bibliotheca Oxonienſi publica extant, idem affert Seldenus dicto loco; utrumque Thomas, ubi ſupra. Quanquam neutrum teſtimonium, quod autores illi volunt, ſatis evincit. Locus namque Pſalmi in fonte ſic habet: *Pſallite Domino equitanti*, ſive, *qui vehitur, in cœlis cœlorum* קדם, Ubi poſtrema hæc vox ob varias ſuas ſignificationes non eodem modo ab omnibus explicatur, Quia tamen nude hoc loco ponitur, & τῷ שמי jungitur per virgulam makkaph, ſicque duæ illæ voces habentur pro una, commodiſſime ſumitur pro epitheto cœlorum, ut שמי־קדם ſint cœli qui fuerunt quondam, id eſt, antiqui: quomodo, v. g. II Reg. XIX, 25. Pſ. XLIV, 2. & alibi, ימי קדם ſunt *dies antiqui*, uti vulgata Latina, & Hieronymus ex Hebræo, *ἡμέραι ἀρχαῖαι*,

De loco Pſ. 68, 34.

ut

ut reddunt LXX; & הררי־קדם Deut. XXXIII, in vulgato ſunt *antiqui montes*, LXX vero Interpretibus ὄρη ἀρχῆς, *montes principii*, id eſt, qui fuerunt a principio; quemadmodum iiſdem אלהי קדם, ibidem comm. 27. eſt Θεὸς ἀρχῆς, Deus qui eſt a principio, ab æterno. Ad hunc itaq; modũ explicatus locus Pſalmi LXIIX, nihil facit pro aſcenſu CHRISTI *ad Orientem*. Quid? quod etiam phraſis Hebræa רכב שמים ſtylo Scripturæ non tam aſcenſum in cœlum, quam DEI e cœlo dominantis majeſtatem innuit; ſumpta metaphora ab iis, qui equis aut currui inſident, eosque gubernant. Vide Deuter. XXXIII, 25. Quod ad locum Matthæi attinet, eum non tam de CHRISTI reditu ad ſupremum judicium, quam ſpirituali ejuſdem adventu per prædicationem Evangelii doctrinæque cœleſtis inſtaurationem, capiendum eſſe, contextus docet. Et ſi maxime ad ultimum Domini adventum accommodetur, illud tamen a fulgure petitum ſimile non ad locum, ſed inexſpectatum ſubitumque judicis acceſſum foret referendum.

VII. Superioribus perquam ſunt affinia, quæ habet Autor Quæſtionum ad Antiochum ſupra jam aliquoties citatus. Is enim affirmare non dubitat, ipſum Spiritum ſanctum, ut verſus Orientem adoremus, præcepiſſe per Davidem Prophetam, dicentem: προσκυνήσωμεν εἰς τὸν τόπον, οὗ ἔστησαν οἱ πόδες σου, Κύριε, *Adoremus ad locum, ubi ſteterunt pedes tui, Domine*. Pſ. CXXXII, 7. Quis vero ſit ille locus, ubi pedes Domini ſteterint, id docere ait Zachariam, inquientem: στήσονται οἱ πόδες κυρίου εἰς τὸ ὄρος τῶν ἐλαιῶν κατ' ἀνατολὰς κατέναντι Ἱερουσαλήμ, *Stabunt pedes Domini in monte olivarum verſus Orientem e regione Jeruſalem*. Eadem repetit

petit Germanus Conſtantinopolitanus, additque præterea, obſervari hunc ritum, *quod ſpiritualis Sol Juſtitiæ, CHRISTUS Deus noſter, in terra apparuit in orientis Solis ſenſibilis partibus.* Ubi de loco quidem ex Pſalmis laudato obſervandum, quod in fonte ſic habeat: נשתחוה להדם רגליו, *Incurvabimus nos ante ſcabellum pedum ejus.* quæ nihil ad montem olivarum. Quod vero ad ipſas attinet notatas proxime ſententias, repeti poſſunt, & huc applicari, quæ ſupra num. III ex Voſſio monuimus. Quemadmodum enim locus Paradiſi non omnibus ubique mortalibus fuit orientalis: ita neque ille, ubi natus paſſusque eſt, & e quo in cœlos receptus humani generis redemptor.

Etiam baptizandi ſtatuebantur verſus Orientem.

IIX. Atque hactenus de ritu orandi ad Orientem. Cui cognatum, quod & in Baptismi collatione mos reſpiciendi ad Ortum in priſca Eccleſia obtinuit. Solebat namque Baptismi candidatus primum adverſus Occidentem ſtatui, uti diabolo nuncium mitteret; deinde verſus Orientem, ut CHRISTO ſe addiceret: quemadmodum, præter vulgo dictum Dionyſium Areopagitam, Hierarchiæ Eccleſiaſticæ cap. II, Cyrillus docet Ieroſolymitanus, Electos (ut vocabant) ita compellans, Catecheſi Myſtogogica I: *Ingreſſi eſtis in porticum baptiſterii, & ſtantes verſus Occidentem, mandari vobis audiviſtis, ut pratenſa manu Satanæ, tanquam præſenti, renunciaretis.* & mox: *Cum Solis occaſus apparentium tenebrarum ſit locus, diabolus autem ſit tenebræ, robur in illis ſuum habet. Idcirco ſymbolice Occaſum ſpectantes, caliginoſo illi tenebrarum Principi renunciatis. —— Poſtea aperitur tibi Paradiſus* Dei, *quem ipſe ad Orientem plantavit. —— & hujus rei ſymbolum eſt, cum ab Occaſu con-*

ver-

verteris ad Ortum, quà lucis regio eſt. Similiter Ambroſius, de his qui myſteriis initiantur, cap. II, *Ingreſſus*, inquit, *ut adverſarium tuum cerneres, cui renunciandum mox putares, ad Orientem converteris. Qui enim renunciat diabolo, ad CHRISTUM convertitur, illum directo cernit obtutu.* Sed & in eandem ſententiam Hieronymus ad caput VI Amos: *In myſteriis primum renunciamus ei qui in Occidente eſt, nobisq; moritur cum peccatis: & ſic verſi ad Orientem, pactum inimus cum Sole Juſtitiæ, & ei ſerrituros nos eſſe promittimus.* Faciunt porro his illuſtrandis, quæ habet Lactantius libro II Divinarum Inſtitutionum cap. IX: *Oriens DEO cenſetur, quia ipſe luminis fons, & illuſtrator eſt rerum, & quod oriri nos faciat ad vitam ſempiternam: Occidens autem conturbatæ illi pravæque menti adſcribitur; quod lumen abſcondat, quod tenebras ſemper inducat, & quod homines faciat occidere atque interire peccatis. Nam ſicut lux Orientis eſt, in luce autem vitæ ratio verſatur; ſic Occidentis tenebræ ſunt, in tenebris autem & mors & interitus continetur.* Idem libro I, cap. XI, *Plaga*, inquit, *Orientis, ex qua lux mortalibus datur, ſuperior, Occidentis autem inferior eſſe videtur.*

IX. Refer huc amplius, quod templa etiam priſcorum fidelium, non minus quam hodierna noſtra, ad Ortum fuerint ædificata; ceu conſtat ex Tertulliano, libro adverſus Valentinianos cap. III, Clemente Romano, quem vocant, Conſtitutionum libro II, cap. LXI, Euſebio, libro X Hiſt. Eccleſ. cap. IV. (unde Socrates, libro V, cap. XXII, de templo Antiocheno tanquam peculiare quid refert, quod inverſum habuerit ſitum; ſiquidem altare non ad Orientem, ſed ad Occidentem ſpectaverit) imo, quod adeo ſacer habitus ſit Oriens, ut etiam mortui faciẽ illuc con-

Templa veterum Chriſtianorum ad Orientem extructa.

Mortui facie ad Ortum

converſa ſepulti. converſa voluerint ſepeliri. Quo de Paulus Aringhus, libro I Romæ ſubterraneæ cap. XXI, ita ſcribit: *Cunctarum gentium conſpiratione ad hunc usque diem uſus merito obſervandus invaluit, ut nationes quæque mortuos vultu in cœlum ſupino, ad orientalem plagam ſpectante, ſepeliant, ad quoque modo proteſtandum reſurrectionis myſterium; fore ſcilicet, ut, quemadmodum Sol poſt occaſum denuo oritur: ita defuncti olim reviviſcant.*

Etiam Pagani ad Ortum orarunt. X. Sed ſatis tandem de Chriſtianorum veterum in Orientalem plagam inter precandum ſe vertentium ritu. Quem cum gentilibus communem iis fuiſſe, Tertullianus ſupra citatis locis innuit, dum & ipſorum *num. I.* pleroſque adorantes *ad Solis ortum labia vibraſſe* ait. Nec ſane deſunt aliorum ſcriptorum teſtimonia, quæ idem confirment. De Ænea & Aſcanio ſacrificantibus & precaturis ſic Virgilius Æneid. XII, 173.

Illi ad ſurgentem converſi lumina Solem,
dant fruges manibus ſalſas, & tempora ferro
ſumma notant pecudum, pateris altaria libant.

Ita etiam, apud eundem Maronem Æn. IIX, 68. Æneas precaturus,

ſurgit, & ætherei ſpectans orientia Solis
lumina, rite cavis undam de flumine palmis
ſuſtulit, ac tales effudit ad æthera voces:
Nymphæ, Laurentes Nymphæ.

Adde Clementem Alexandrinum lib. VII Stromatum: qui etiam antiquiſſima templa ad Occidentem ideo ſcribit reſpexiſſe, *ut, qui vultu ſtarent ad ſimulacra converſo, docerentur verti ad Orientem.* Et Vitruvius certe, qui Auguſti floruit tempore, lib. IV Architect. cap. V, veluti pro notiſſima

tiſſima ſui temporis & vetuſta, de ædibus ſacris conſtituendis ſecundum regiones & mundi plagas, diſciplina tradit, eas ita conſtituendas eſſe, ut, ſi nulla ratio impediret, liberaque fuerit poteſtas, ædis ſignum, ſeu Numinis ſimulacrum, quod erat in cella collocatum, ſpectaret ad veſpertinam cœli regionem, ut, qui adirent ad aram immolantes, ſpectarent ad partem cœli orientis, ipſaque ſimulacra viderentur ex Oriente contueri ſupplicantes & ſacrificantes. Confer Savorinum ad Sidonii lib. II, epiſt. X, Dionyſium Thracem Diæreſ. lib. III, Poſidippum in Epigramm. ubi de templis Phœbi & Vulcani loquitur, Paulinum epiſt. XII ad Severum, Hyginum de Limitibus, Apulejum libro II Metamorph. Valerium Flaccum Argonaut. lib. III, Plutarchum in vita Dionis, Corippum libro I, Pacatũ Drepanium in Panegyric[illegible]bſervetur præterea, apud Theodoretum, libro IV H[illegible]. Eccl. cap. IIX, de Pilato dici, quod, rogatus a Judæis ut cruci CHRISTUM affigeret, *converſus ad Orientem aquam manibus petierit, easque laverit.* Etiam medicinis uſuros ad Orientem fuiſſe verſos, ex Plinio, Valeriano, & Marcello annotat Caſp. Barthius Adverſariorum libro XLI, cap. XVI. Atque hinc factum putat ille Ebræorum doctiſſimus, Rabbi Moſes Ben Maimon, in More Nebochim parte III, cap. XLVI, ut Abraham in monte Moriah ſacrificans, verſus Occidentem, ubi eſſet ſanctum ſanctorum, ſe verteret. *Cauſa,* quamobrem id fecerit Abraham, *juxta ſententiam meam eſt,* ait, *quod, cum dogma tunc receptiſſimum eſſet per orbem terrarum, Solem colendum, eumque DEUM eſſe, nec dubitandum fuerit, quin omnes homines facies ſuas Orienti obverterent, ideo Abraham, Pater noſter, faciem ſuam obvertit Occidenti in monte Moriah,*

ſcilicet in ſanctuario, ut tergum ſuum Soli obverteret. Sic Maimonides: aſſerens mox quæ leguntur Ezech. VIII, 16. *Ecce, juxta oſtium templi Domini, inter veſtibulum & inter altare, erant quaſi viginti quinque viri, quorum terga erant ad templum Domini, & facies eorum ad Orientem, adorabantque* קדמה לשמש *Solem ad Orientem.* Quem locum in eandem rem urget quoque Cyrillus Alexandrinus, commentans in verba Oſeæ V, 8. ubi ſimul hæc ipſa Prophetæ: κηρύξατε ἐν τῷ ὄικῳ ὤν (ita habetur in Græco) eo refert. ὤν enim Solem eſſe ſcribens, τοῦτο οἶμαι δηλοῦν, ait, τὸ ἔχειν τὰ ὀπίσθια πρὸς τὸν ναὸν κυρίου, καὶ τὰ πρόσωπα αὐτῶν ἀπέναντι, δῆλον δὲ, ὅτι τοῦ ἡλίου, *Hoc opinor ſignificare* Prophetam, *quod poſteriora ſua* Iſraelitæ *obverterent templo Domini, & facies ſuas contra, haud dubie contra Solem.* Spectare huc etiam videtur Jobus cap. XXXI, 26, ubi peccata compluria, quorum ſe reum fuiſſe negat, enumerans, *Si,* inquit, *adſpexi Solem* (ita Hebræum אור cum veteribus heic vertit Seldenus) *cum ſplendeſceret, aut Lunam clare incedentem, & ſeductum eſt in abſcondito cor meum, & applicata eſt manus mea ori meo* (ritus adorandi vetuſtiſſimus innuitur: de quo Hieronymus lib. I contra Ruffinum, *Qui adorant,* inquit, *ſolent deoſculari manum, & capita ſubmittere;* ac paulo poſt: *Hebrai, juxta linguæ ſuæ proprietatem, deoſculationem pro veneratione ponunt.* Confer Lucianum in encomio Demoſthenis, & de Saltatione, Plinium lib. XXIIX, cap. II, Apulejum lib. IV Metamorph. & in Apologia) *etiam hoc iniquitas magna: quia ſic negaſſem DEUM, qui eſt deſuper.* Sed quamvis hæc de gentilium ad Orientem inter precandum vel ſacrificandum reſpiciendi ritu ex hactenus allatis certo certiora videantur, non tamen deſunt, unde du-

bia

bia ea reddi, imo prorſus adverſa perſuaderi poſſe forte dixeris. Quæ pluribus heic perſequi noſtri inſtituti ratio non permittit. Videat, cui placet, quæ ex Luciano, Porphyrio, aliisque in hanc rem affert Seldenus lib. III de Ebræorum Synedriis cap. XVI, pag. 436. ſeqq.

XI. At eſto, certum omnino ſit & indubitatum, ritum fundendi preces verſus Ortum gentilibus cum Chriſtianis fuiſſe communem, fine tamen longe diverſo morem iſtum ab utrisque frequentatum fuiſſe manebit. Quanquam ſane fieri potuit, ut, quæ laudabilibus de cauſis pridem in Eccleſiam introducta fuerat conſvetudo, ſucceſſu temporis in ſuperſtitionem pedetentim degeneraret. Quo reſpiciens inter alia Leo M. ſerm. VII de Nativitate, ut prorſus abrogaretur mos ille precandi verſus Orientem, conſultum duxit. Ubi enim conqueſtus fuerat, nonnullos e Chriſtianis ritui iſti adeo religioſe inhærere, *ut, priusquam ad B. Petri Apoſtoli Baſilicam, quæ uni Deo vivo & vero eſt dedicata, perveniant, ſuperatis gradibus, quibus ad ſuggeſtum areæ ſuperioris adſcenditur, converſo corpore ad naſcentem ſe Solem reflectant, & curvatis cervicibus in honorem ſe ſplendidi orbis inclinent, idque fieri partim ignorantiæ vitio, partim paganitatis ſpiritu*, multum ſe dolere dixerat; mox ſubjungit: *Etſi quidam forte Creatorem potius pulchri luminis, quam ipſum lumen, quod eſt creatura, venerantur, abſtinendum tamen eſt ab ipſa hujusmodi ſpecie officii. Quam cum in noſtris invenit qui Deorum cultum reliquit, nonne hanc ſecum partem opinionis vetuſtæ, tanquam probabilem, retentabit, quam Chriſtianis & impiis viderit eſſe communem?* Quanquam nihilo minus poſt Leonis etiam tempora non deſiiſſe conſuetudinem orandi verſus Orientem,

tem, docent quæ apud Germanum Conſtantinopolitanum, Damaſcenum, Alcuinum, locis ſupra indicatis leguntur. Ut proinde vero per omnia conſentaneum non ſit, quod ſcribit Joh. Pineda, ad Job. XIII, 26. conſuetudinem primæ Eccleſiæ in precibus ad Orientem ſtandi, & templa ad Ortum erigendi, a temporibus Leonis M. exoleviſſe.

Solis dies quare ſacer Chriſtianis. XII. Atque hæc de primo, unde natam dicit Tertullianus ſuſpicionem, quaſi Chriſtiani Solem adorarent. Alterum, unde anſam ad hoc fingendum ſumpſerint Pagani, eſſe ait, quod fideles *diem Solis lætitiæ indulgeant*, ſive lætum ac feſtum celebrent. Addit vero mox, facere id ipſos *alia longe ratione quam religione Solis.* Nimirum ideo ſacer Chriſtianis eſt dies Solis, *quod primus eſt, quo DEUS, caligine diſpulſa, orbem condidit, & JESUS CHRISTUS Salvator noſter eo ipſo a mortuis reſurrexit*, ceu ſcribit Juſtinus Martyr in Apologia ad Antoninum Pium. Cui per omnia conſentiens Gregorius Turonenſis, libro X, cap. XXX, *Sanctus eſt hic dies*, ait, *qui in principio lucem conditam primus vidit, ac Dominicæ reſurrectionis teſtis emicuit; ideoque omni fide a Chriſtianis obſervari debet.* Poſteriorem iſthanc rationem affert etiam Auguſtinus, ſermone XV de verbis Apoſtoli, cap. II, *In hebdomadis*, inquiens, *idem primus* dies *qui & octavus. Completis enim ſeptem diebus, reditur ad primum. Finitur ſeptimus; Dominus ſepultus: reditur ad primum; Dominus reſuſcitatus. Domini enim reſuſcitatio promiſit nobis æternum diem, & conſecravit nobis Dominicum diem. Qui vocatur Dominicus, ipſe videtur proprie ad Dominum pertinere; quia eo die Dominus reſurrexit.* Similiter libro XXII de Civitate Dei cap. XXX, *Dominicus*, ait, *dies CHRISTI reſurrectione*

one ſacratus eſt, æternam non ſolum ſpiritus, verum etiam corporis requiem præfigurans. & epiſtola CXIX, ad Januarium, *Dies Dominicus Chriſtianis reſurrectione Domini declaratus eſt, & ex illo habere cœpit feſtivitatem ſuam. Animæ quippe omnium ſanctorum ante reſurrectionem corporis ſunt quidem in requie,* (digitum intendit ad ſabbatum Judæorum, de quo antea dixerat) *ſed in ea non ſunt actione, qua corpora recepta vegetantur. Talem quippe actionem ſignificat dies octavus, qui & primus, quia non aufert illam requiem, ſed glorificat.* Eadem repetit Iſidorus lib. VI Etymol. cap. XIIX. Sed & Maximus Taurinenſis, ſermone de Pentecoſte, qui inter Ambroſianos eſt LXI, *Dominica,* inquit, *nobis ideo venerabilis eſt atq; ſolennis, quia in ea Salvator, velut Sol oriens, diſcuſſis infernorum tenebris, luce reſurrectionis emicuit.* Refer præterea huc, quæ ex vetuſta quadam manuſcripta Canonum Eccleſiaſticorum rapſodia, (ut vocat) Barnabas Briſſonius recitat, comment. in l. *Dominico*, de Spectaculis, in C. Theod. *Inter cetera admonitionis noſtræ officia ſatis illud nobis neceſſarium viſum eſt, ut populis fidelibus terribiliter denuncietur, ut diem Dominicum, in quo auctor vitæ reſurrexit a mortuis, honorabiliter colant. Nam ſi Pagani ob memoriam & reverentiam Deorum ſuorum dies colere, & Judæi more carnali ſabbatum carnaliter obſervare ſatagunt; quanto magis Chriſtianæ religionis devotio ob memoriam Dominicæ reſurrectionis eundem diem venerabiliter atque honorabiliter colere debet?* Adde item Concilium Matiſconenſe II, can. I, unde nonnulla afferimus infra cap. XV, 10. Ipſos quinimo Ebionæos, utut Judaicæ legi in plerisque adhærentes, Dominicum tamen diem εἰς μνήμην τῆς σωτηρίου ἀναστάσεως perinde ut Chriſtianos celebraſſe, libro III Hiſtoriæ Eccleſ.

cap.

cap. XXVII Euſebius teſtis eſt. Atque hinc idem ille dies *dies reſurrectionis* vocatur autori ſermonis, qui inter Auguſtini ſermones de tempore eſt CXXXVI, & Ignatio in Epiſtola ad Magneſianos. Inde etiam factum, ut *nefas duxerint* veteres, *die Dominico de geniculis adorare*, ceu loquitur Tertullianus, de Corona militis cap. III. Diserte enim ſupra memorato loco teſtatur Maximus, quod ſoliti fuerint eo die antiqui Chriſtiani *erecti reſurrectionem Domini celebrare*, ſive, ut habet Rabanus Maurus, lib. II Inſtit. Cleric. cap. XLII, *ſtantes orare* in *ſignum futuræ reſurrectionis*. Sic Autor Quæſtionum ad Orthodoxos, quæ perperam Juſtino Martyri tribuuntur, quæſt. CXV: τὸ ἐν τῇ κυριακῇ μὴ κλίνειν γόνυ, συμβολόν ἐστι τῆς ἀναστάσεως, δι᾽ ἧς, τῇ τοῦ Χριστοῦ χάριτι, τῶν τε ἁμαρτημάτων, καὶ τοῦ ἐπ᾽ αὐτῶν τεθανατωμένου θανάτου ἠλευθερώθημεν, *Dominico die non flectere genu, ſignum eſt reſurrectionis, qua, CHRISTI benignitate, & a peccatis, & a morte, quæ ab illo interempta, ſumus liberati.* Similiter Auguſtinus, epiſt. CXIX, ad Januarium, *Stantes*, inquit, *oramus, quod eſt ſignum reſurrectionis.* Conferantur præterea Concilium Nicenum can. XX, Hieronymus adverſus Luciferianos, Baſilius ad Amphilochium, Caſſianus de Inſtitutis Cœnobiorum lib. II, cap. XIIX, Iſidorus de Eccleſ. offic. lib. I, cap. XXXIII.

XIII. Præter hanc a reſurrectione petitam rationem, itemque illam, quam ex Turonenſi ſupra dabamus, alias inſuper cauſas profert Auguſtinus ſerm. CCLI de tempore. Sic enim ibi diſſerit: Dominicum diem Apo-
„ ſtoli & Apoſtolici viri ideo religioſa ſolennitate haben-
„ dum ſanxerunt, quia in eodem Redemptor noſter a
„ mortuis reſurrexit: quique ideo Dominicus appella-
tur,

„tur, ut in eo a terrenis operibus vel mundi illecebris ab-
„ſtinentes, tantum divinis cultibus ſerviamus: dantes ſci-
„licet diei huic honorem & reverentiam propter ſpem
„reſurrectionis noſtræ, quam habemus in illa. Nam ſi-
„cut ipſe Dominus Jeſus Chriſtus & Salvator reſurrexit a
„mortuis, ita & nos reſurrecturos in noviſſimo die ſpe-
„ramus. Apparet autem, hunc etiam in Scripturis ſan-
„ctis eſſe ſolennem. Ipſe enim eſt primus dies ſeculi; in
„ipſo formata ſunt elementa mundi; in ipſo creati ſunt
„angeli; in ipſo quoque a mortuis reſurrexit CHRI-
„STUS; in ipſo de cœlis Spiritus ſanctus ſuper Apoſtolos
„deſcendit; Manna in eodem in eremo primum de cœ-
„lo datum eſt. His enim ſpeciebus ac talibus indiciis Do-
„minica dies extat inſignis. Ac ideo ſancti Doctores Ec-
„cleſiæ decreverunt omnem gloriam Judaici Sabbatiſmi
„in illam transferre; ut, quod ipſi in figura, nos celebra-
„remus in veritate: quia tunc erit requies noſtra vera,
„quando reſurrectio fuerit perpetrata, & remuneratio in
„anima & corpore ſimul perfecta. Eadem diei iſtius ἀ-
ξιώματα recenſent Concilium Pariſienſe ſub Ludovico ac
Lothario, cap. L, Epiſtola Synodica, quæ, ſub titulo Or-
dinationis feriarum Paſchalium per Theophilum Epiſco-
pum Cæſarienſem alioſque Epiſcopos, tomo II operum
Bedæ extat, Iſidorus lib. I de Eccleſ. offic. cap. XXIV, eum-
que ſecutus Rabanus Maurus lib. II de Inſtitut. Clerico-
rum, cap. XLII. Ubi nota obiter, quod Manna de cœlo da-
tum dicitur primo hebdomadis die, id etiam aſſerere, &
ex ipſa Scriptura probare niti Origenem in Exod. XV. Ejus
verba hæc ſunt: *Quæro, qua die cœperit Manna cœlitus dari,
& volo comparare Dominicam noſtram cum Sabbatho Judæo-*

 rum

rum. Ex divinis namq; Scripturis apparet, quod in die Dominica primo in terris datum eſt Manna. Si enim (ut Scriptura dicit) ſex diebus continuis collectum eſt, ſeptima autem die, quæ eſt ſabbati, ceſſatum eſt, ſine dubio initium ejus a die prima, quæ eſt dies Dominica, fuit. Vide præterea Ambroſium ad I Cor. X, 3.

Ethnici Solem coluerunt.

XIII. Mirum vero, Solis cultum Chriſtianis vitio datum ab Ethnicis: quaſi nempe ab heliolatria ipſimet abhorruiſſent, & non potius pro maximo Deo, imo Deorum Principe, Solem venerati ſint. Quem inde conſtat ſine ulla adjectione Θεὸν dici Græcis non raro, uti Solem orientem atque occidentem vocant ἀρχόμενον καὶ δυόμενον Θεόν. Notæ etiam ſunt veteres inſcriptiones: DEO. SOLI. INVICTO. ARAM, et: CAJUS. JULIUS. ANICETUS. ARAM. SACRATAM. SOLI. DIVINO. VOTO. SUSCEPTO. ANIMO. LIBENS. DD. Item: JULIUS. CÆSAR. DEO. SOLI. INVICTO. ALTARE. Vide præterea Ciceronem libro III de natura Deorum, Macrobium in ſomn. Scipionis lib. I, cap. II, Diogenem Laertium prooemio libri I, Servium ad librum I Æneidos, Athenagoram Apologia pro Chriſtianis, Clementem Alexandrinum in Protreptico, Arnobium libro I, Lactantium libro II, cap. V, Euſebium de Præpar. libro I, cap. VI, Prudentium libro I in Symmachum, verſ. 309. ſeqq. Cyrillum Alexandrinũ libro I, II, VI, contra Julianum, & homil. VI Paſchali, Theodoretum libro III adverſus Græcos, Nachorem, in hiſtoria Barlaami, cap. XXVII, Pſeudo-Clementem Romanum libro IV Recognitionum, Tertullianum libro I ad Nationes cap. XIII, libro II, cap. V, VI, & in Apologetico c. XVI; ubi ſpeciatim Perſis tribuit, quod Solẽ in linteo ſive vexillis depictũ adorent. Inde nimirum eſt, quod, apud Curtium libro IV, Darius Perſas ſuos hunc

Perſæ cumprimis.

in mo-

in modum affatur: *Precor vos per Deos patrios, æternumq; ignem, qui præfertur altaribus, fulgoremq; SOLIS intra fines regni mei orientis, vindicate ab ultimo dedecore nomen gentemq; Perſarum.* Quemadmodum de eodem Dario Athenæus quoque narrat libro IIX, quod, poſtquam Alexandri erga matrem, uxorem, & filias continentiam intellexerit, manus ad Solem tendens tollenſque, clara voce, ſic ut exaudiri poſſet, precatus ſit, ut aut ſe, aut Alexandrũ regnare vellet. Hinc etiam Soli, tanquã Deo, equos immolabant Perſæ; uti tradit Xenophon lib. IIX Cyropædiæ, & Juſtinus libro I; Regemque ipſorum, cum rem divinam faceret, equum album Soli mactaſſe, libro I de vita Apollonii ſcribit Philoſtratus. Sed & eundem Regem, in publico procedentem, currum Soli ſacrum anteire ſolitum, teſtis eſt jamjam citato loco Xenophon. Vide præterea Herodotum lib. I, Strabonem lib. XV, Macrobium lib. I, cap. VI, Procopium lib. I de bello Perſico: apud quem legimus, inſtituti fuiſſe Perſici, τὰς τοῦ ἡλίου ἀνατολὰς προσκυνεῖν ἡμέρᾳ ἑκάστῃ. Tandem, quod etiam per Solem jurare conſueverint Pagani, conſtat inter alia ex Theodoreto, qui, libro V adverſus Græcos, has producit ipſorum jurandi formulas: μὰ τοὺς θεοὺς, μὰ, τὸν ἥλιον.

XIV. Quantopere autem ab iſto Solis cultu Chriſtiani abhorruerint, ipſimet haud ignorarunt Gentiles, Perſæ cumprimis, qui ne capitalibus quidem ſuppliciis eos, ut ἡλιολατρείαν committerent, potuerunt adducere. Cujus rei luculenta exempla apud Sozomenum libro II Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. IIX, ſeqq. extant. Nimirum refert Sozomenus, cum Perſarum Rex Sapor Simeoni, Seleuciæ Archiepiſcopo, ut Solem adoraret, perſuadere vel- *Quantopere a Solis cultu abhorruerint veteres Chriſtiani.*

 let,

let, *ſi obtemperaret, multa dona, & quod in pretio habiturus ipſum eſſet, pollicitus; ſi vero detrectaret, & ipſius, & totius Chriſtianæ gentis perditionem minatus;* Simeonem magno animo tum minas tum pollicitationes Regis contempſiſſe, intrepidumque mortis ſupplicium ſubiiſſe. Eodem modo cum alii Chriſtiani centum, *an vivere, eandemque cum Rege religionem retinere, ac Solem vellent colere,* interrogarentur, martyrium & ipſos elegiſſe ſcribit. Inprimis autem memorabile eſt, quod de Uſthazare, apoſtata heliolatra, uno ex primariis Saporis miniſtris, Hiſtoricus narrat. Is cum ad carcerem duci videret Simeonem, de quo paulo ante, ſurgens de loco ubi ſedebat forte, reverentiam exhibuit martyrii candidato. Hic vero quoniam indignabatur ei ob apoſtaſiæ crimen, ipſe *protinus, obortis lacrymis, cum ejulatione veſtem, qua ſplendida erat indutus, depoſuit, ſumptoque nigro amictu, tanquam lugens ante aulam Regis ſedit, plorans & ingemiſcens, dicensque: Væ mihi! Qualis exſpectandus mihi DEUS eſt quem negavi, quando ob eam me cauſam Simeon, olim familiaris meus, ſic averſatus eſt, ut prætereundo ne verbo quidem ſit dignatus!* De hoc miniſtri mœrore certior factus Rex, ubi cauſam quærit, *Dolet mihi,* ait Uſthazares, *quod adhuc vivo, cum jam olim mori debuerim; & quod Solem hunc video, quem, ut Tibi gratificarer, præter animi mei ſententiam viſus ſum adorare.* Cumque poſthabitis, ſive promiſſis ſive minis omnibus, conſtanter negaret, unquam *ſe tam fore ſtolidum, ut loco DEI, opificis omnium, ea ſit culturus quæ ab illo ſunt condita,* capitis ſupplicio & ipſe affectus eſt. Sic igitur Solem venerati ſunt priſci Chriſtiani!

CAPUT

CAPUT III.

DE

ÆDOEOLATRIA.

AFfingebant amplius Chriſtianis, quod *Antiſtitis ac Sacerdotis colerent genitalia, & quaſi parentis ſui adorarent naturam*; veluti conſtat e Minutii Felicis Octavio. Cui calumniæ anſam videtur dediſſe illa veterum Exomologeſis, ſive pœnitentia publica, de qua paſſim in antiquitate mentio, cumprimis apud Tertullianum & Cyprianum. Videlicet qui ſcelerata aut flagitioſa vita Chriſtiano nomini infamiam inferebant, ſecundum Domini præceptum, Matth. xiix, 17. & diſertam Apoſtoli doctrinam, 1 Cor. v, ex Eccleſia ejiciebantur ac proſcribebantur. Si qui vero ex eo cenſu eſſent, qui vel ſuopte impulſu, vel Eccleſiæ cenſuris & correptionibus admoniti, mentem mutarent, & ad meliora redire cuperent; iis quidem fidelium communio reddebatur; ſed hac lege, ut, antequam ſacrorum participes denuo fierent, variis pœnitentiæ, iisque laborioſiſſimis exercitiis, & Eccleſiæ ſatisfacerent, & inolitas vitiorum labes eluerent. Atque in hoc dum erant, coram Presbyteris ceterisque fidelibus ſeſe proſternebant. Clare id docet Tertullianus libro de Pœnitentia cap. xi, ubi ſcribit: *Exomologeſis proſternendi & humilificandi hominis diſciplina eſt, converſationem injungens miſericordiæ illicem. De ipſo quoque habitu atque victu mandat, ſacco & cineri incubare, corpus ſordibus obſcurare, animum mœroribus dejicere, illa, quæ peccavit, triſti tractatione mutare: ceterum paſtum & po-*

Exomologeſis Veterum.

tum pura noſſe, non ventris ſcilicet, ſed animæ cauſa: plerumque vero jejuniis preces alere, ingemiſcere, lacrymari, & mugire dies noctesque ad Dominum D*eum tuum; PRESBYTERIS ADVOLVI, & caris* D*EI adgeniculari; omnibus fratribus legationes deprecationis ſuæ injungere.* Similiter libro de Pudicitia cap. XIII, *Tu quidem,* ait, *pœnitentiam mœchi, ad exorandam fraternitatem, in Eccleſiam inducens, conciliciatum & concineratum cum dedecore & horrore compoſitum proſternens in medium, ante viduas, ANTE PRESBYTEROS, omnium lacrymas ſuadentem, omnium veſtigia lambentem, omnium genua detinentem, inque eum hominis exitum, quantis potes miſericordiæ illecebris, bonus Paſtor & benedictus Papa concionaris.* Sic de Natalio apud Euſebium libro V Hiſtoriæ Eccl. cap. XXIIX legimus, quod, ex hæreticorum caſtris ad Eccleſiam revertens, *primo mane ſacco indutus, aſperſus cinere, cum lacrymis ſe perquam diligenter AD PEDES ZEPHYRINI EPISCOPI projecerit, neque modo ad cleri, ſed & laicorum genua provolverit; ita ut miſericordis CHRISTI Eccleſia, illum magnopere commiſerata, lamentis una ſe dederit.* Sed & Nicetas David, in vita S. Ignatii, Archiepiſcopi Conſtantinopolitani, ubi deſcribit quoſdam ad Eccleſiam redeuntes, ait, quod, *cum pœnitentis animi ſenſu lacrymisque ſedentes, ſupplices AD SANCTÆ SYNODI PEDES procubuerint* ἐξομολογούμενοι. Confer etiam Caſſianum libro IV, cap. XXX, Sozomenum libro VII, cap. XVI; & adde præterea Cyprianum, libro de Lapſis, Johannem Climacum gradu V, atque e recentioribus Gabrielem Albaſpineum, Obſervationum libro II, obſerv. XXII, ſeqq. Jo. Ludovic. de la Cerda, Adverſariorum ſacrorum cap. CXLII, 3. & ad Tertulliani librum de Pœnitentia cap. IX, Carolum Moreau, ad eundem Tertullianum, voce *Exomologeſis*

geſtis, Jo. Forbeſium, Inſtructionum Hiſtorico-Theologicarum lib. XII, cap. V, ſeqq. Jo. Dallæum, de Confeſſione libro III, aliosque.

CAPUT IV.

DE

STAUROLATRIA.

INſuper & Crucis cultum fidelibus CHRISTI ſervis objiciunt Cæcilius ethnicus apud Minutium Felicem, & Julianus Imperator apud Cyrillum Alexandrinum lib. VI contra hunc ipſum Apoſtatam. Teſtis item eſt Tertullianus, gentiles *Crucis religioſos* putaſſe Chriſtianos, Apolog. cap. XVI, illosque *Crucis Antiſtites* affirmaſſe, libro I. ad Nationes cap. XII, Idem ſub Diocletiano & Maximiano Augg. *Crucicolæ* appellati ſunt, ut ſcribit Aldhelmus (Anthelmum vel Adelmum vocant alii) libro de Virginitate, cap. XVII. Sed recte Octavius apud Minutium, accuſationem iſthanc in ipſos Paganos retorquens, *Cruces*, inquit, *nec colimus, nec oramus. Vos plane, qui ligneos Deos conſecratis, cruces ligneas, ut Deorum veſtrorum partes, forſitan adoratis. Nam & ſigna ipſa, & cantabra, & vexilla caſtrorum, quid aliud quam inaurata cruces ſunt & ornatæ? tropæa veſtra victricia non tantum ſimplicis crucis faciem, verum & affixi hominis imitantur.* Sic & Tertullianus, ubi ſupra: *Victorias adoratis, cum in tropæis cruces inteſtina ſint tropæorum. Religio Romanorum tota caſtrenſis ſigna veneratur, ſigna jurat, ſigna omnibus* Diis *præponit. Omnes illi imaginum* ſug-

ſuggeſtus inſignes, monilia crucium ſunt: ſipara illa vexillorum & cantharorum ſtola crucium ſunt.

11. At, inquies, annon hinc inde occurrunt apud veteres, unde Crucis veneratio, qualem Chriſtianis exprobrabant infideles, ſtabilitur? Minime vero. Sed locutiones iſtiusmodi impropriæ ſunt, quibus per Metonymiam, ut vocamus, adſcribuntur Cruci, quæ proprie ſoli crucifixo competere, nemo ſanæ mentis Chriſtianus dubitat. Ita quis ptoprie de Cruce intelligenda diceret, v. g. illa Chryſoſtomi in Matth. XVI, homil. LV: *Crux terrarum orbem ſalvavit & convertit, errorem abegit, veritatem reduxit, terram in cœlum vertit, ex hominibus angelos effecit. Per hanc factum, ut dæmones non terribiles amplius* homini *ſint, ſed deſpicabiles; ut mors non amplius mors, ſed ſomnus: per eandem omnia, quæ nobis adverſabantur, humi dejecta conculcantur?* quis iſta apud Prudentium, in Romano martyre, ſive hymno περὶ ςεφάνων XIV, 586.

Hæc illa crux eſt, omnium noſtrûm ſalus,
Romanus inquit, hominis hæc redemptio eſt?

quis hæc Athanaſii, de paſſione Domini: *Vere beata & vivifica crux Salvatoris, quæ de morte triumphaſti, & eum, qui mortem in ſua poteſtate habebat, diabolum, ſuſtuliſti?* Quæ ſane ad ipſum mox Salvatorem idem refert Athanaſius, addens: *Φιλάνθρωπε & bone Domine, Tu nos captivos redemiſti, ſervientes peccato tua propria morte redemiſti.* Quemadmodum & Ambroſius, ſermone LV, de Cruce Chriſti, ubi dixiſſet: *Omne genus hominum de mortis periculo crucis arbor eripuit*; paulo poſt hæc ita explicat: *Dominus* CHRISTUS *pependit in cruce, ut omne genus hominum de mundi naufragio liberaret. —— Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto: ita exaltari oportet filium hominis.* (Ioh. 3, 14.) *Unde, ſi affixus ſerpens ligno*

quo filiis Iſrael contulit ſanitatem, quanto magis ſalutem præſtat populis Dominus in patibulo crucifixus? —— *Habentes igitur Dominum* JESUM, *qui nos paſſione ſua liberavit, in ipſum aſpiciamus ſemper, & ipſius ſigno ſperemus noſtris vulneribus medicinam.* Similiter ſermone ſequenti LVI, aſſertionem hanc ſuam, *quod crux Domini ſalutem generi contulerit humano*, ita confirmat: *Paſſio enim illius noſtra redemptio eſt, mors ejus vita noſtra eſt.* Et, ut de Ambroſii mente planius conſtet, omnisque tollatur dubitatio, ecce verba ipſius diſerta ex oratione funebri de obitu Theodoſii, ad Honorium, ejus filium & ſucceſſorem: *Invenit* Helena crucis CHRISTI *titulum.* REGEM ADORAVIT, NON LIGNUM UTIQUE: QUIA HIC GENTILIS EST ERROR, ET VANITAS IMPIORUM. SED ADORAVIT ILLUM, QUI PEPENDIT IN LIGNO, SCRIPTUS IN TITULO.

III. Verum & hoc nomine Chriſtianis inſultare ſolebant ethnici, eosque irridere, quod Crucifixum colerent. Clare id docet Lactantius lib. IV, cap. XVI, (cum quo confer caput etiam XXVI) *Velut opprobrium nobis objectari ſolet*, ſcribens, *quod & hominem, & ab hominibus inſigni ſupplicio affectum & excruciatum colamus*; & Auguſtinus ſermone IIX de verbis Apoſtoli, *De cruce*, inquit, *CHRISTI nobis inſultant Sapientes hujus mundi, & dicunt: quale cor habetis, qui DEUM colitis crucifixum?* Ita Lucianus, in Peregrino, de Chriſtianis memorat, quod *ἀνεσκολοπισμένον ἐκεῖνον σοφιστὴν, crucifixum illum impoſtorem*, (*τὸν μέγαν ἐκεῖνον ἄνθρωπον τὸν ἐν τῇ Παλαιστίνῃ ἀνασκολοπισθέντα, magnum illum hominem in Palæſtina crucifixum*, ironice ſupra appellaverat) *adorent, juxtaque illius leges vivendi rationem inſtituant.* & Cæcilius, apud Minutium, iis exprobrat, quod *hominem ſummo*

Chriſtiani irriſi, quod crucifixum colerent.

ſupplicio pro facinore punitum colant. Similiter Arnobius, lib. I adverſus Gentes, infideles introducit ſic alloquentes Chriſtianos: *Non idcirco Dii vobis infeſti ſunt, quod omnipotentem colatis* DEUM; *ſed quod hominem natum, & , quod perſonis infame eſt vilibus, crucis ſupplicio interemptum, & Deum fuiſſe contenditis, & ſupereſſe adhuc creditis, & quotidianis ſupplicationibus adoratis.* Etiam impius ille Celſus, apud Origenem, lib. VII contra eundem, *Fugiendi ſunt*, inquit, *impoſtores & præſtigiatores, ſpectra vobis commendantes, ne ſitis modis omnibus ridiculi, ceteros Deos vituperantes ut idola, ipſi revera idolum colentes, ac ne idolum quidem, ſed mortuum.* Idem Sycophanta, ibidem libro VI, Chriſtianos hunc in modum ſiſtit loquentes: πίστευσον, ὃν εἰσηγοῦμαί σοι, τοῦτον εἶναι υἱὸν Θεοῦ, κἂν ᾖ δεδεμένος ἀτιμότατα, ἢ κεκολασμένος αἴσχιστα, κἂν χθὲς καὶ πρώην ἐν τοῖς πάντων ὀφθαλμοῖς ἐπονειδιστότατα κεκαλινδημένος, *Crede, eſſe hunc, de quo te doceo, DEI filium: quamvis ignominioſe vinctus ſit, & turpi affectus ſupplicio; quamvis heri & nudiuſtertius in conſpectu omnium tractatus probroſiſſime.* & libro III ait, qui CHRISTUM ſupplicio affectum colunt, idem facere quod Getas, qui Zamolxin venerentur, & Cilicas, qui Mopſum, & Acarnanas, qui Amphilochum, & Thebanos, qui Amphiaraum, & Lebadienſes, qui Trophonium. Ita quoque obtrectator ille Julianus, ubi ſupra, Chriſtianis objicit, quod, *æternis Diis relictis*, non dubitaverint ἐπὶ τῶν Ιουδαίων μεταβῆναι νεκρὸν, *ad Judæorum mortuum* (νεκρὸν abſolute vocat paulo poſt, rurſumq; infra libro X) *ſe conferre.* & vetus Martyrologium narrat, cum Præfectus Olibrius virginem quandam, Chriſtianiſmi ream, de genere ſuo ac nomine & religione quæſiviſſet, illa autem reſpondiſſet, ſe genere nobilem,

nomi-

nomine Margaretam, religione Chriſtianam; dixiſſe Præfectum: *Duo prima tibi recte conveniunt, quæ nobilis haberis, & pulcherrima margarita comprobaris: ſed tertium tibi non convenit, ut puella tam pulchra & nobilis* DEUM *habeat crucifixum*. Etiam in Hiſtoria Barlaami, Damaſceno tribui ſolita, cap. XXIV, Rex Indorum idololatra Abenner filio Joſaphat ad CHRISTUM converſo, quod Crucifixo ſe junxerit, ignominiæ loco objicit. Graviter autem Chryſoſtomus, in Matthæi cap. XVI, homil. LIV, ſive (ut alii numerant codices) LV: *Si gentilium quiſpiam abs te petierit, Crucifixumne adores? noli dubitare clara voce & læta facie dicere: & adoro, & adorandi nunquam faciam finem. Et ſi ridebit, largas tu effunde lachrimas de inſania ejus. Agas immortali Domino gratias, cujus beneficio hæc ſuſcepimus, quæ nullus abſque divina gratia dicere poteſt. Nam idcirco hic etiam ridet, quia homo animalis non ſuſcipit ea quæ ipſius Spiritus ſunt.* Similiter Cyrillus Ieroſolymitanus, Catecheſi XIII, *Non pudeat vos, inquit, Crucifixum confiteri.* Sed & Auguſtinus ſermone I de converſione Pauli ait: *Nolo erubeſcamus de CHRISTI nomine. Inſultatur nobis, quod credimus in Crucifixum.* Paulo ante dixerat: Natum, crucifixum, mortuum, erubeſcis confiteri? Altus, excelſus, & æqualis Patri, per quem facta ſunt omnia, per quem factus es tu, factus eſt quod tu, factus eſt propter te homo, propter te natus, propter te mortuus. Ægrote, quomodo ſanaberis, qui de medicamento tuo erubeſcis? Elige tempus, nunc eſt tempus: poſtea contemptus ille veniet admirandus, judicatus ille veniet judicaturus, occiſus ille veniet excitaturus, exhonoratus ille veniet honoraturus modo & poſtea: modo in fide res eſt, poſtea in manifeſtatione

„ ſtatione erit. Elige hoc tempore, quam partem teneas „ in futuro. De CHRISTI nomine erubeſcis modo ho„ minibus. Ex eo quod erubeſcis modo, habes erubeſce„ re cum venerit in gloria ſua, redditurus quod promiſit „ bonis, quod minatus eſt malis. Ubi eris tu? quid faci„ es, ſi te attendat ille Excelſus, & dicat tibi: Erubuiſti de „ humilitate mea, non eris in claritate mea? Diſcedat er„ go mala verecundia, accedat ſalubris impudentia: ſi im„ pudentia dicenda eſt. Sed tamen, fratres, extorſi mi„ hi ut hoc dicerem, nec timerem prorſus. Confer præterea Euſebium, lib. III de vita Conſtantini, cap. I, Athanaſium, Oratione contra Idola, ſive adverſus gentes, Iſidorum Peluſiotam lib. IV, epiſt. XXIX.

CAPUT V.

DE NEPHELOLATRIA.

ETiam Nubium venerationem Chriſtianis fuiſſe olim ab impiis tributam, viri docti colligunt ex illo Tertulliani, Apolog. XXIV: *Colat alius DEUM, alius Jovem, alius ad Cœlum ſupplices manus tendat, alius ad aram fidei, alius, ſi hoc putatis, Nubes numeret orans.* Quo item referunt ea Juvenalis, ex Satyra XIV, 92.

Quidam, ſortiti metuentem ſabbata Patrem,
nil præter Nubes & cœli lumen adorant.

Quanquam videri heic poſſit Poëta de Judæis potius quam Chriſtianis loqui. Sed notum, Judæos cum Chriſtianis confundere non inſolens eſſe τοῖς ἔξω. Vide ſupra cap. I, 4. Alias, quod Judæi cœlum adorent, etiam Celſus ipſis affingit apud Origenem libro V eorum quos maledico illi

calu-

calumniatori oppoſuit. Et Diodorus Siculus libro XL in Eclogis hæc habet: *Nullam omnino Moyſes Deorum imaginem ſtatuamve fabricavit, quod in Deum minime cadere formam mundanam, ſed* COELUM *hoc, quod terram circumquaq; ambit, ſolum* DEUM *eſſe, cunctaq; in poteſtate habere, judicaret.* Confer Strabonem lib. XVI. Nec deſunt, per *Cœlicolas*, in Codice cum Theodoſiano tum Juſtinianeo non ſemel memoratos, Judæos qui intelligi debere contendunt.

II. Iſtos Cœlicolas (ut de iis, ὡς ἐν παρόδῳ, nonnulla heic afferamus) certa ſua, in quibus convenire ſolerent, habuiſſe ædificia, conſtat ex l. XII C. de Judæis & Cœlicolis, item ex l. XLIII C. Theodoſ. de Hæreticis, lib. XVI, ubi Imperatores Honorius & Theodoſius ædificia iſta Eccleſiis vindicare jubent. Quin Majores etiam ſuos & Patriarchas habuiſſe ipſos, ex l. III C. eod. diſcimus. Imo & Auguſtinus, epiſt. CLXIII, Majoris Cœlicolarum meminit, qui novi Baptiſmi auctorem inſtituerit. Verba ſancti Patris ſunt: *Miſeramus ad Majorem Cœlicolarum, quem audieramus novi apud eos Baptiſmi inſtitutorem inſtituiſſe, & multos illo ſacrilegio ſeduxiſſe; ut cum illo, quantum ipſius temporis patiebantur anguſtiæ, aliquid loqueremur.* *Cælicolæ qui fuerint.*

III. Sed qui proprie fuerint hi Cœlicolæ, quidve crediderint, perquam obſcurum eſt. Judæos fuiſſe, nonnulli, ceu diximus, ſibi perſuaſum habent. Solentq; hi ex ſupra a nobis producto Juvenalis loco, cui alium ex Petronio jungunt, ſententiam ſuam firmare. Verum, ut dicam quod res eſt, Juvenalis & Petronii teſtimonia heic parum, imo nihil omnino, efficiunt. Si enim capitis aſinini venerationem Judæis affingere non dubitarunt Pagani, quidni iiſdem falſo quoque tribuere potuerint adoratio-

rationem Cœli? Et cur magis credamus Petronio, Cœli cultum Judæis tribuenti (ſi tamen lectio illa:

& Cœli ſummas advocat auriculas,

genuina eſt: nam alios aliter legere, ſupra cap. 1, 3. patuit) quam dum idem, eodem illo loco, & verſu immediate præcedenti, quod *porcinum Numen adoret*, huic genti affingit? Certe, ut perperam Judæis ἱερολατρείας iſthanc objici oſtendat, omnem lapidem, loco paulo ante citato, movet Origenes. Monetq; Johannes Seldenus, lib. II de Jure Naturali & Gentium juxta diſciplinam Ebræorum, cap. 1, licet olim, maxime ante templi primi excidium, pro vario hominum perverſorum affectu, atque dominantium libidine, ita idololatria ſubinde apud Judæos graſſata fuerit, ut nullum ferme ejuſdem genus non ſit etiam publice admiſſum (de quo ex ſacro Codice ſatis conſtat) tandem tamen poſt primi illius templi ruinam gentem toties ictam euſque ſapuiſſe, ut nihil magis atque cultum extraneum (quo ſcilicet ſaxis, ſtipitibus, ſtatuis, imaginibus, angelis, elementis, corporibus cœleſtibus, aliive cuicunque naturæ, divinus honor offertur) velut peſtem graviſſimam fugeret, idque ex majorum diſciplina, quam mali temporis anterioris mores nimium ſæpe obumbrabant. Per calumniam ergo a Juvenali aliiſq; gentilibus Judæis tributum eſt, quod Cœlum colerent. At vero Imperatoribus Chriſtianis in edictis ſuis contra Cœlicolas res non eſt cum hominibus, quibus falſo aliquis error vel impietas fuerit, ſive ab imperitis, ſive ab calumniatoribus adſcripta, ſed ipſi Cœlicolis tribuunt *crimen ſuperſtitionis*. Deinde Imperatores Cœlicolarum nomen vocant *nomen inauditum*, iiſdemque objiciunt *no-*

vum

vum crimen. At vero Judæi longe ante Honorii & Theodoſii tempora οὐρανολατρείας jam fuerant inſimulati, veluti ex ſupra allatis manifeſtum.

IV. Card. Baronius, Annalium tomo I, ad ann. LX, 16. Cœlicolas, quorum in edictis Imperatoriis mentio, Chriſtianos fuiſſe autumat, qui a religione transfugæ ad Judaismum defecerint. Coluiſſe autem Judæos Cœlum, etiam poſt Salvatoris noſtri in carnem adventum, ex Hieronymi epiſtola CLI, ad Algaſiam, quæſt. X, & Clemente Alexandrino lib. VI Stromatum, liquere arbitratur. Verum de iſtis locis Seldenus, ubi ſupra, *Occurrunt quidem*, ait, *ſubinde apud ſcriptores veteres de Judaico angelorum & aſtrorum cultu aliquo etiam poſt ſecundi templi excidium teſtimonia; ſed quæ conjectura potius ſunt, nec temere admittenda. Et quod e concione, quam, neſcio quis, D. Petri nomine inſignivit, citatum habetur apud Clementem Alexandrinum, de cultu eorum, angelis, archangelis, menſi ac Lunæ exhibito, plane hallucinatio eſt. Angelos quidem, quos ſuis deſignant nominibus, menſibus præeſſe aliisque rebus exiſtimarunt, ſollicitius etiam, more majorum, in menſium initiis finibusque, adeoq; feſtorum ratione ex Lunæ viſione præfinienda, ſemper agere ſoliti ſunt; quod & concionis illius autor ille ibi memorat, & velut cauſam ejus, quod de cultu dixerat, affert. Sed hæc quid ad cultum? Ita ſane, qui Solaris Lunarisque motus apicibus minutiisque, ut temporum ratio ſibi in periodis conſonet, cruciare ſe ſolent, Solem & Lunam adorare ſeu colere dicerentur.* Hæc Seldenus; qui paulo poſt, calumniam, quaſi Judæi Cœlum adorarent, ex eo ortam aſſerit, *quod ſolenni eorum locutione Numen ſanctiſſimum, quod ſolum volebant adorandum,* שמים *id eſt,* Cœlum *ſit nuncupatum.* Idem cenſet Joſephus

Baronii ſententia.

phus Scaliger, Elencho Trihæreſii Nic. Serarii, cap. XXXI.

Cœlum pro DEO.

V. Et ſane, Hebræorum Magiſtris uſitatiſſimum eſſe, voce שמים DEUM deſignare, negari non poteſt. R. Elias Levita in Tiſchbi, *Vocant*, inquit, *DEUM* שמים, *eo quod cœli ſunt ſedes ejus*: citatque in hanc rem illud: הכל בידי שמים חוץ מוראת שמים, *Omnia ſunt in manu Cœli, præter timorem Cœli*; item iſtud: שם שמים שגור בפיו, *Nomen Cœli aſſuetum in ore ejus*. Eſt quoque apud Talmudicos percelebre illud: הכל לשם שמים *Omnia ad Cœlum*. Quod R. David Kimchi in Pſalmum I, 2. & CXIX, 168. ſic effert: מעשיך יהיו לשם שמים, *Omnes actiones tuæ ſint in nomine Cœli*. Sed & pertinet huc illud in Medraſch Koheleth, cap. V, 6. *Qui venit viſitatum ægrotum, dicit*: השמים ירחמו עליך. *Cœli miſereantur tui!* Sic in Pirke Abhot cap. I: נמצא שם שמים מתחלל. *Invenitur nomen Cœli profanatum*. Ibidem cap. IV, כנסת שהיא לשם שמים, *congregatio quæ fit propter Cœlum*, מורא שמים *timor Cœli*, & cap. V, מחלוקת שהוא לשם שמים *contentio quæ fit propter Cœlum*; quid aliud ſunt, quam congregatio, contentio, quæ propter Deum? Ita in libro precum quotidianarum, אדם ירא שמים *homo timens Cœli*, eſt homo pius, qui DEUM timet; & מיתה בידי שמים *mors per manus Cœli*, Rabbinis notat mortem repentinam, quam DEUS immediate infert. Quin & ipſæ ſacræ literæ COELI vocem pro DEO non ſemel uſurpant, Sic Pſ. LXXIII, 9. de impiis dicitur: שתו בשמים פיהם ולשונם תהלך בארץ, *Opponunt Cœlis os ſuum, & lingua eorum perambulat terram*. Ubi Euthymius, *Per Cœlum*, inquit, *DEUM* intelli-

telligit, inquit, *qui in cœlis habitat*. Sic & Hugo de S. Charo, verba verſionis Latinæ: *Poſuerunt in cœlum os ſuum*, conſiderans, *in Cœlum*, interpretatur, *contra DEUM*. Eodem modo Baſilio M. Cœlis os opponere, eſt, *blaſphemiis contra DEUM uti*; Dionyſio Carthuſiano, (qui cum his verbis locum Jobi XV, 26. confert) *erecto collo & tumida mente contra DEUM loqui verba blaſphemiæ*. Similia apud recentiores, Matthiam Flacium, Jacobum de Valentia, Conradum Pellicanum, Auguſtinum Marloratum, Solomonem Geſnerum, Hieronymum VVellerum, Junium ac Tremellium, utrumque Oſiandrum, aliosque legas. Huc porro pertinet illuſtris locus Dan. IV, 23. *Ex quo cognoveris*, די שליטן שמיא *quod dominentur Cœli*, hoc eſt (ut commate præcedenti exponitur) די שליט עליא *quod dominetur Altiſſimus*; quomodo etiam explicat R. Joſeph ben Jachija, paraphraſi in Danielem. Referunt quoque huc nonnulli, quod Deus dicitur attollere manum ſuam על שמים *ad Cœlos*, Deut. XXXII, 40. cum hoc ipſo nihil innuatur aliud, quam quod alibi dicitur, Deum jurare per ſeipſum. Vide Gen. XXII, 16. Eſ. XLV, 23. Heb. VI, 13. Ex Cabaliſtarum ſententia, teſte R. Elia, loco ſupra memorato, eo etiam ſpectat illud 1 Reg. IIX, 32. אתה תשמע השמים; quod ſic explicant: *Tu audies, o Cœlum*, hoc eſt, DEUS. Quanquam alii exiſtiment, eſſe heic ellipſin præfixi מ, ut ſenſus ſit: *Audies e cœlis*; (quomodo legitur II Paral. VI, 23. & alias) Sic verſio τῶν LXX habet, ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, Targum Jonathanis מן שמיא; nec aliter translatio Syriaca & Arabica. Amplius huc refer illud 1 Maccab. III, 18. οὐκ ἔστι διαφορὰ ἐναντίον τοῦ οὐρανοῦ, *Non eſt differentia in conſpectu Cœli*;

 item

item comm. 19. *ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἰσχὺς*, *a Cœlo fortitudo.* Conſ. & comm. 60. nec non cap. IV, 10. Ita in Novo Teſtamento Luc. XV, 18, 21. *πάτερ, ἥμαρτον εἰς τὸν οὐρανὸν*, *Pater, peccavi in Cœlum*, hoc eſt, in DEUM; (perinde ac in Medraſch Koheleth cap. IX, 12. חוטא בשמים, *peccans in cœlum*) Sic Matth. XXI, 25. Marc. XI, 30. 31. Luc, XX, 4. 5. quæſtio movetur: fueritne baptiſmus Johannis *ἐξ οὐρανοῦ*, an *ἐξ ἀνθρώπων*, id eſt, a DEO, vel hominibus? Et *βασιλεία τῶν οὐρανῶν*, quod legitur Matth. XI, 11. explicatur per *βασιλεία τοῦ Θεοῦ*, Luc. VII, 28. Imo apud alios quoque autores vox COELI nonnunquam DEUM ſignat. Ita, quando Petronius in Satyrico ait: *Nemo Coelum putat*; quid aliud vult, quam, neminem putare, quod ſit DEUS? Apud eundem Circe ad Polienum *Habebo*, inquit, *quod Coelo imputem, ſi nos fata conjunxerint.* Ita Manilius Aſtronom. lib. V, 18.

Araque Divorum, cui votum ſolvit Olympus.

hoc eſt, Jupiter ipſe, Deorum ſummus. Poeta vetus apud Diomedem Grammaticum:

- - - Coelo gratiſſimus annus,

id eſt, DEO. Claudianus, Paneg. in VI Conſulatum Honorii, verſ. 352.

- - - - - Providus æther
noluit humano titulos auferre labori.

Sulpitius Severus Dialogo: *Qui mundi gloriam calcans, Cœlo teſte frueretur.* Phædrus: *Ut videantur ſapere, Cœlum vituperant.* Huc Caſpar Barthius, Adverſar. lib. LIII, cap. III, etiam refert illud Sedulii, lib. IV, 8.

- - - - Permagnaq; cœlo
vox reſonans venit per nubila; clarificavi,

cla-

clarificabo iterum. Quid apertius eſt Patre teſte, Coelo aſſertore? . . . .

Vide inſuper Tullium libro II de Natura Deorum.

VI. Sed tandem e diverticulo in viam redeamus. Exiſtimat Seldenus, ut diximus ſupra, cum voce שמים DEUM innuerint Judæi, quod cœlum, illud ſtellarum domicilium, pro DEO habuerint, idemque adoraverint, tributum ipſis fuiſſe. Addit amplius: *Hinc & Judaica ſecta quædam Coelicolæ etiam apud Chriſtianos dicte; de qua Codex uterque, ſed maxime Theodoſianus.* Verum enimvero, uti, quantum ad prius, non magnopere doctiſſimo viro refragabimur: ſic poſterius credere nondum poſſumus; fuiſſe videlicet apud ipſos etiam Chriſtianos Judæos Cœlicolas dictos, quod cœlum creatum venerari exiſtimati ſint. Aut enim ex ſua ipſorum mente ita Judæos appellarunt Chriſtiani, aut ſolum uſi ſunt, ad indigitandos Judæos, hoc titulo, tanquam qui vulgo receptus eſſet, licet ipſi eundem non approbaverint. Prius dici non poteſt. Qui enim inde, quod DEUM, Cœli quamvis nomine interdum indicatum, adorarunt Judæi, Cœlicolas eos vocandos putarint Chriſti cultores; quos & ipſos DEUM, omnium conditorem, fuiſſe veneratos, & Cœli voce eundem aliquando innuiſſe, plus ſatis conſtat? Nec admittendum poſterius. Quod enim Cœlicolæ, quorum in utroque Codice habetur mentio, non ex aliorum falſa opinione ſic appellati ſint a fidelibus, hinc ſatis liquet, quod Imperatores in ſuo edicto diſerte ajunt, nomen hoc inauditum *novum crimen ſuperſtitionis indicaſſe.* Revera ergo fuit aliqua ſuperſtitio, cui qui fuere addicti, Cœlicolæ etiam ab ipſis Chriſtianis nuncupati ſunt.

De Cœlicolis ſententia Seldeni.

 VII. Sen-

Barthii. VII. Sententiæ ſuperiori, dictos eſſe Judæos Cœlicolas, quia Deus ipſis Cœlum nuncupari ſolitus, affinis illa Caſp. Barthii, libro LIX Adverſariorum, cap. x, inveniſſe eos id nomen in ore Paganorum, quod Deum cœli, ſive cœli terræque conditorem, abs ſe coli jactarent. Hinc enim opinionem ſuam duxiſſe Gentes, Cœlum a Judæis adorari. Et monet Barthius, in ipſiſmet ſacris literis Deum illum unum ac verum Cœli Deum appellari; uti in libro Judith cap. v, 8. *Deſerentes ceremonias Deorum Patrum ſuorum, quæ in multitudine Deorum erant, unum DEUM Coeli coluerunt, qui præcepit eis ut exirent inde, & habitarent in Chanaan.* & comm. 12. *Fugientibus his, Deus Coeli mare aperuit, ita ut hinc inde aquæ quaſi murus ſolidarentur.* comm. 19. *Dedit eis Deus Coeli virtutem.*

Scaligeri. IIX. Joſephus Scaliger, licet in Notis ad Cirin ſcribat, Judæos apud Imperatorem dici Cœlicolas, quia, ut Juvenalis ait, *nil præter nubes & coeli lumen adorent*, in Prolegomenis tamen inclyti illius operis, quod de Emendatione temporum edidit, nomen hoc adeptos aſſerit, quod cœleſte, hoc eſt, ſanctum vitæ genus ſectari ſibi viderentur. Credit nimirum, Cœlicolas fuiſſe ſectam quandam Eſſenorum, eam videlicet, quæ erat τῶν κοινοβίων, aut certe illi non diſſimilem. Sed audiamus ipſum Scaligerum. *Eſſenorum*, inquit, *alii κοινόβιοι, alii μονάζοντες fuerunt. Sed horum non videtur ſecta diuturna fuiſſe. Aſt τῶν κοινοβίων, aut eorum non diſſimilium, ſynagogæ fuerunt ad tempora Juſtiniani. Sunt enim ii, qui Coelicolæ vocantur. Nam & nomen id indicat. Coelicolæ enim ſunt angeli. Ita vocari volebant propter ſanctum & coeleſte, ut ipſis videbatur, vitæ inſtitutum.* Sed primo, verba, quibus in edicto ſuo utuntur Imperatores,

res, omnino importare videntur, Christianorum cœtui Cœlicolas fuiſſe mixtos, iisdemque accenſeri voluiſſe. Unde & Jacobus Cujacius, quamvis Judæorum ſectam fuiſſe Cœlicolas affirmet, comment. ad l. XLIII C. Theod. de Hæreticis, mox tamen addit, *miſcuiſſe ſe quoque eam Chriſtianiſmo ad aliquid*; *quandoquidem*, ait, *banc ſectam hereticis & dogmaticis* edictum Imperatorium *annumerat*, *&*, *ut ad Chriſtianam religionem revertantur, quodammodo cohortatur*. Et Matth. Weſenbecius, comment. ad C. tit. de Judæis & Cœlicolis, hoc differre ſcribit Judæos & Cœlicolas, *quod illi plane ab Eccleſia, cui nomen nunquam dederunt, ſint alieni, hi vero cives Eccleſiæ per Baptiſmum effecti, ab ea turpiter defecerint, ejusdemq; doctrinæ puritatem inquinaverint & corruperint*; adeoque, *niſi ad ſanam mentem*, *&*, *quam projecerant*, *Chriſtianæ religionis venerationem revertantur*, *pro hereticis & habeantur & puniantur*. Ita, inquam, Weſenbecius; qui, quod Cœlicolæ a nomine Chriſtiano non fuerint prorſus alieni, etiam inde liquere exiſtimat, quod eorum templa Eccleſiis orthodoxis tribui jubeantur l. XII C. de Judæis & Cœlicolis, quæ alioqui fiſco potius vindicata fuiſſent, l. v in f. de Paganis & Sacrificiis. Confer & eundem Conſilio XXXVII. Quin ipſe Scaliger alibi, nempe Elencho Trihæreſii Nic. Serarii cap. XXXI, de Cœlicolis affirmat, quod ad Chriſtianiſmum converſi fuerint, ſed, ſacro lavacro tincti, iterum ad priſcum Judaiſmum defecerint, & nominetenus Chriſtiani, Cœlicolarum ritus retinuerint. Si recte ejus mentem aſſequor, duo Cœlicolarum genera ibidem conſtituit Scaliger: quorum alii Judæi fuerint, & Eſſenorum portio; de quibus loquantur Juvenalis ac Petronius: alii

Cujacii, *Weſenbecii*.

pſeudo-Chriſtiani, qui ſcilicet Baptiſmum quidem recepiſſent, ſed nihilominus Judæorum Cœlicolarum ritus frequentarint. Originem quoque jam citato loco affert, ab ea, quam in ſupra laudatis Prolegomenis probat, omnino diverſam. Ait quippe, eſſe ſic appellatos Cœlicolas (cum quibus eoſdem putat fuiſſe Maſſalianos) quod eorum προσευχαὶ eſſent ἐν ἀέρι καὶ αἰθερίῳ τόπῳ. Utriq; ſane ejus etymologiæ, & priori cumprimis, omnibus modis refragatur Synopſis βασιλικῶν, lib. I, cap. de Hæreticis, dum *Cœlicolas* interpretatur σεβομένους τὸν οὐρανόν.

Druſii. IX. Johannes Druſius, lib. IV de tribus ſectis Judæorum, cap. XX, Cœlicolas Honorio ac Theodoſio memoratos eſſe putat *Schamiin* illos, quos in urbe Miſraim ſeu Cairo ad ripas Nili peculiarem Synagogam habere, in Itinerario ſuo refert Benjamin Tudelenſis. Duæ nimirum ibi Judæorum fuerunt Synagogæ; una eorum, qui in Iſraelitica regione nati erãt, eaq; dicta כניסה אל שאמיין *Synagoga Syrorum*: altera illorum, qui ex Babylonia oriundi; hæcque appellata כנסה אל עירקיין *Synagoga Iraçenſium*, ſeu in Iraça, regione Babyloniæ verſus auſtrũ contigua, natorum. Priores illos, ut dixi, de Cœlicolis, quorum in Codice mentio, explicat Druſius. At eum recte refellit Thomas Reineſius lib. I Variarum lectionum cap. XXV, ubi etiam Sam. Petiti opinionem examinat, ſcribentis lib. II Var. lect. cap. XI, *Schamiin* iſtos ſic fuiſſe nunçupatos, *quia Biblia in ſuis Synagogis Hebraice legebant, ut coelitus accepta & tradita fuerant a Moſe & Prophetis*. Interim proteſtatur Druſius, tum loco ſupra memorato, tum in Reſponſionis ad Minerval Serarii Appendice, num. CXIII, quæ

quæ de Cœlicolis eo modo, ut paulo ante retulimus, à ſe aſſeverentur, ea accipienda eſſe de Cœlicolis Judæis, non Chriſtianis. Nam juxta ipſum *Cœlicolæ alii erant Judæi, alii meri Chriſtiani*; veluti expreſſe ait in jamjam laudata Appendice. Et fuiſſe quidem Chriſtianos Cœlicolas, ex Auguſtino colligi poſſe autumat. Ubi ad epiſtolã ejus CLXIII, in qua Majoris Cœlicolarum, qui *novi Baptiſmi inſtitutorem inſtituerit*, mẽtio habetur, haud dubie reſpicit. At vero Scaliger in Prolegomenis ſupra citatis de Eſſenis hæc dicta affirmat, qui *quia erant* ἡμεροβαπτισταὶ, inquit, *novi Baptiſmi auctores Donatiſtis fuerunt*. Sed tandem miſſos faciamus Cœlicolas (de quibꝰ ſane nil certi aſſerere auſimus præter hoc unum, quod incerta ſint omnia, quæ quidem nos hactenus apud autores de iis aſſerta legimus) & ad ceteras, quas in CHRISTI ſervos ethnicorum impietas evomuit, calumnias conſiderandas pergamus.

CAPUT VI.

DE SERAPIDOLATRIA.

INter hæc igitur gentilium convitia & illud non immerito videtur referri, quod in epiſtola quadam ad Servianum Coſ. (quam ex libris Phlegontis recitat Flavius Vopiſcus in Saturnino) Imperator Hadrianus prodidit, coluiſſe videlicet Chriſtianos in Ægypto Serapidem. *Illi*, ait, *qui Serapin colunt, CHRISTIANI ſunt, & devoti ſunt Serapi, qui ſe CHRISTI Epiſcopos dicunt*. Serapim, ſive Sarapim, vel Apim, præcipuum fuiſſe Ægyptiorum numen, idque

ſub

ſub bovis ſpecie ab illis cultum, plus ſatis notum eſt. Vide Herodotum in Euterpe, ſed præcipue in Thalia, Strabonem lib. XVII, Plutarchum lib. de Iſide & Oſiride, Varronem lib. IV de Lingua Latina cap. X, Tullium lib. I de natura Deorum, Plinium lib. IIX, cap. XLVI, Jul. Solinum cap. XLV, Pomponium Melam lib. I, cap. IX, Ammianum Marcellinum lib. XXII, Diodorum Siculum lib. I, cap. XXV, Lucianum in Concilio Deorum, & de Sacrificiis, Ælianum lib. X Hiſt. animal. cap. XXIIX, lib. XI, cap. X, Macrobium lib. I Saturn. cap. XXI, Suetonium in Octavio cap. XCIII, & in Veſpaſiano cap. VII, Spartianum in Hadriano, Svidam in Σέραπις, Libanium Sophiſtam in encomio bovis, Athenæum lib. VII, Porphyrium περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων libro IV, Juvenalem ſatyr. XV, Philonem de vita contemplativa, & de Decalogo, Theophilum Antiochenum lib. I ad Autolycum, Tertullianum Apologet. cap. VI, Clementem Alexandrinum in Protreptico, & lib. I Strom. Minutium Felicem in Octavio, Arnobium adverſus Gentes lib. I, II, IV, Euſebium Præpar. Evang. lib. II, cap. I, lib. III, cap. II, IV, lib. IV, cap. XII, Athanaſium orat. contra Idola, ſive adverſus Gentes, Julium Firmicum de errore profanarum religionum, Gregorium Nazianzenum orat. XXXIV, in Ægyptiorum adventum, orat. XXXIX, in ſancta lumina, & orat. XLIIX, quæ eſt II in Julianum, Hieronymum in Joel cap. III, Ruffinum lib. II Hiſt. Eccl. cap. XXIII, Prudentium lib. II contra Symmachum, Auguſtinum lib. XIIX de Civitate Dei, cap. V, Proſperum Aquitanicum lib. III de Prædictionibus cap. XXXIX, Iſidorum Hiſpalenſem lib. IIX Orig. cap. XI, pſeudo-Clementem Romanum lib. V Recognitionum, Baſilium Seleuc. in Noëmum orat. VI, ali-

vi, aliosque. Hunc itaque Serapim a Chriſtianis fuiſſe cultum, Hadrianus, ut dixi, Auguſtus memoriæ prodidit. Et ſane fieri potuit, ut, quando in Ægypto ageret Imperator hic, Chriſtianorum nonnulli, metu perculſi, vera religione ad tempus diſſimulata, Paganorum ſuperſtitionem in ſpeciem amplexi ſint. Sic in veteri Martyrologio, in hiſtoria de Epimacho, martyre Ægyptio, narratur, propter ſævi Judicis adventum diffugiſſe Alexandria omnes Chriſtianos, aut ethnicam impietatem ſimulaſſe. Quod ſi Judicis adventus potuit efficere, non mirum, ſi, veniente Hadriano Imperatore, quem gentilium ſuperſtitionum acerrimum propugnatorem omnes ſciebant, ſimile quid acciderit. Interim verba Hadriani, quæ ſupra dedimus, nihil aliud præ ſe ferre videntur, quam, Chriſtianos in Ægypto omnes cultu ordinario venerari Serapin; (quemadmodum & paulo poſt de ipſo Patriarcha Alexandrino, quod Ægyptiacum iſtud portentum adoret, aſſerere non dubitat) At vero ſi hoc vult Imperator, inſigniter eum calumniari palam eſt.

11. Majorem veri ſpeciem habuiſſet ejus narratio, ſi, quæ de Chriſtianis refert, ea de Judæis protuliſſet. Hos nimirum, Ægyptiacam impietatem imitatos, Apin olim adoraſſe, diſerte ſcribit Lactantius lib. IV Divin. Inſtit. cap. X. Verba ejus ſunt: Judæi, *depulſa jam ſervitute*, (quæ eos in Ægypto preſſerat) *jam ſiti fameq;* (quam in ſolitudine erant experti) *depoſita, in luxuriam prolapſi, ad profanos Ægyptiorum ritus animos tranſtulerunt. Cum enim Moyſes, Dux eorum, aſcendiſſet in montem, atq; ibi XL diebus moraretur, aureum caput bovis, quem vocant Apin, quod eis ſigno præcederet, figurarunt.* Sic & Hieronymus ad caput IV Oſeæ: *Videntur* *Judæi Apin coluerunt.*

tur

tur idcirco mihi populus Iſrael in ſolitudine feciſſe ſibi vituli caput quod coleret, & Jeroboam, filius Nabat, vitulos aureos fabricatus, ut, quod in Ægypto didicerant, Ἄπιν καὶ Μνεῦιν, *qui ſub figura boum coluntur, eſſe Deos, hoc in ſua ſuperſtitione ſervarent.* Confer inſuper autorem commentariorum in Epiſtolas Paulinas, qui Ambroſio tribui ſolent, ad Rom. *1.* Digna quoque ſunt notatu, quæ hanc in rem habet Seldenus, „ ſyntagm. *1* de Diis Syris, cap. IV. Erat Apis, ait ille, non „ coitu pecoris, ita nugabantur, ſed cœleſti igne ſeu radi- „ is Lunaribus conceptus, (hoc eſt quod ait Plutarchus, „ ὅταν φῶς ἐρείσῃ γόνιμον ἀπὸ τῆς Σελήνης, καὶ καθάψηται βοὸς ὀρ- „ γώσης) colore nigro, quadrato in fronte candore, macu- „ la dextro lateri ingenita, & corniculantis Lunæ imagi- „ nem referente, conſpiciendus. Perpendant, qui Apin „ in vitulo intelligunt, utrum Aharon aliquod horum „ γνωρισμάτων ſtylo ſuo formaverit. *Et formavit aurum cum* „ *ſtylo*, ait Moſes; nimirum יצר בחרט *Jatzar bacheret*, id „ eſt, graphio figuravit, ſive, ut habent LXX, ἔπλασεν ἐν „ τῇ γραφίδι. Idolum fuiſſe conflatile conſtat; nec facile in- „ telligas, quid ſtylo fecerit, niſi notas Apidis aut ejuſmo- „ di quid inſcripſerit. Rudem maſſam inprimis confla- „ tam volunt Ebræorum nonnulli, inde vituli figurâ, „ ſcalpelli ſeu ſtyli opera, donatam. Magorum ars, eo- „ rum ſcilicet qui ex Ægyptiis proſelyti erant, aliis heic la- „ tere videtur: etiam ipſum ignem ex auro liquefacto vi- „ tulum formaſſe, putarunt nonnulli Ebræorum, verbis „ commatis 24. capitis XXXII. Exodi perſuaſi, uti & Maca- „ rius, Ægyptius, ni fallor, in Homilia XI. ὥσπερ, inquit, „ ἐμιμήσαντο τὸ πῦρ προαίρεσιν αὐτῶν. τοῦτο δὲ θαυμαστὸν πρᾶγμα. ἐπει- „ δὴ γὰρ κατὰ πρόθεσιν ἐν τῷ κρυπτῷ καὶ τοῖς λογισμοῖς αὐτῶν ἐβούλοντο

εἰδω-

,, εἰδωλολατρείαν, καὶ τὸ πῦρ ὁμοίως τὰ ἐμβληθέντα σκεύη εἴδωλον εἰρ-
,, γάσατο. Quin & Dæmonum præſtigiis ipſius Apidis
,, partum fuere qui attribuebant. Vide D. Auguſt. de
,, Civit. Dei, XVIII. cap. V. Cum etiam inventus Apis ſo-
,, lenni pompa Memphim, Ægyptiorum Regiam, deduci
,, a Sacerdotibus ſoleret, pueris in ſacro illo comitatu
,, carmen honori Numinis gregatim præcinentibus;
,, multumque eſſet ob natum & repertum Deum & pu-
,, blicum gaudium, & *πανδαισία*, ſive lautiſſimum convi-
,, vium, ut ſcribit Svidas; perpendant inſuper ſequaces
,, Lactantii hic & D. Hieronymi, verba Moſis Exodi cap.
,, XXXII, com. 6. *Seditque populus ut manducaret & biberet;*
,, *& ſurrexerunt ut luderent*, id eſt, ut conflatile Numen
,, cantu & choris celebrarent. Idem enim com. 18. *Non*
,, *eſt vox quæ reſonet fortitudinem, nec eſt vox quæ reſonet debi-*
,, *litatem, ſed vocem cantantium ego audio*, ſive *choros ducen-*
,, *tium*, aut τῶν ἐξαρχόντων οἴνου, ut reddunt Græci; nempe co-
,, meſſantium, ſeu vitulantium; quo vocabulo, hoc ſen-
,, ſu, utitur in ſacris Varro apud Macrobium. Inventio
,, Apidis & vituli feſtum en quam analoga. Poſt ævi ſpa-
,, tium in ſacris libris præſcriptum, profundo ſacri fontis,
,, id eſt, Nili, immerſus Apis necabatur, nec diem longi-
,, us trahere licebat. De qua re Papinius, Sylvarum III. in
,, Propemptico Metii Celeris,

,, - - - *aut quo ſe gurgite Nili*
,, *merget adoratus trepidis paſtoribus Apis.*

,, Mox alius requirebatur, ea, quam diximus, ſolennitate
,, ſacrandus. Paſſim ſunt qui inconſideratius conjiciunt,
,, quam is, qui, in opprobrium immergendi Apidis, Mo-
,, ſem vitulum *combuſſiſſe in igne, contriviſſe in pulverem, &*

„ *ſparſiſſe in ſuperficiem aquæ* autumarit. Comma 20. dicti
„ capitis, & Deut. IIX, 21. conſulenda. Et Moſem imitatus
„ Joſias Rex, idolorum cineres, in templo Hieroſolymi-
„ tano a Manaſſe Rege ſacratorum, diſpergi voluit. Hæc
„ e Seldeno.

CAPUT VII.

DE MARTYROLATRIA.

ULterius ἀποθεώσεως etiam cultusque Martyrum inſimulatos olim fuiſſe Chriſtianos, conſtat ex imputatione Juliani, apud Cyrillum Alexandrinum, libro VI eorum quos impio illi apoſtatæ objecit; clareque præterea id docet Euſebius, libro IIX Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. VI. Agens namque ibi de ſæviſſima illa perſecutione Nicomedienſi ſub Diocletiano, ſepulta fidelium corpora e terris refoſſa fuiſſe ſcribit, & in mare projecta, *ne quisquam eos, ſi in monumentis relinquerentur, adoraret, ac Deos eſſe, ſicut*, inquit, *de nobis opinabantur, putaret*. Similiter Eccleſia Smyrnenſis in epiſtola ſua encyclica, apud Euſebium libro IV, cap. XV, teſtatur, Paganos noluiſſe permittere, ut corpus ſancti Martyris Polycarpi in Chriſtianorum perveniret poteſtatem, ne ipſum loco CHRISTI colere inciperent. *Nonnulli*, ajunt, *Nicetem, Herodis patrem, Dalcæ fratrem, ſubornarunt, ut Proconſulem oraret, ne nobis corpus ejus donaret: ne, inquiebant, relicto Crucifixo illo, hunc colere incipiant. Et hæc ex Judæorum ſuggeſtione atque incitatione dicebant, qui etiam nos obſervabant, cum ex igne*

eum

eum ſubtrahere cuperemus: ignari ſcilicet, fieri non poſſe, ut nos unquam vel CHRISTUM, *pro ſalute omniũ qui in toto mundo ſervantur paſſum, deſeramus, vel alium quenquam colamus. Ipſum enim, cum* DEI *filius ſit, adoramus, Martyres vero, ut diſcipulos & imitatores Domini, propter incredibilem eorum erga Regem & magiſtrum ſuum affectum, digne amamus, quorum nos conſortes & diſcipulos eſſe optamus.* Quibus poſterioribus Smyrnenſium verbis gemina omnino ſunt illa Theodoreti, libro IIX contra Græcos: *Nos, o viri, nec hoſtias Martyribus, nec libamina deferimus; ſed ut ſanctos homines* DEI*q; amantes honoramus. Tanto enim amore creatorem Servatoremq; proſequuti ſunt, ut mortem illius cauſa ſuſceptam optabilem duxerint.* Pari ratione Cyrillus, ſupra citato loco, aliquoties proteſtatur, Chriſtianos nequaquam divinum cultum Martyribus deferre. *Quin potius*, ait, *ſummis honoribus eos ornamus, quod pro veritate ſtrenue certaverint, ſinceritatemque fidei eousque ſervarint, ut animam ipſam contempſerint, repudiatisque mortis terroribus, periculum omne vicerint, & virtutis adeo mirabilis ſeipſos veluti quasdam imagines vitæ hominum propoſuerint.* Nec aliter Hieronymus in epiſtola adverſus Vigilantium Ripario inſcripta. Ubi enim de Vigilantio erat conqueſtus, quod Catholicos, qui Martyrum ſuſpicerent reliquias, *Cinerarios* appellet & *Idololatras*, ſubjungit: *Nos, non dico Martyrum reliquias, ſed ne Solem quidem & Lunam, non angelos, non Archangelos, non Cherubim, non Seraphim, & omne nomen quod nominatur & in præſenti ſeculo & in futuro, colimus & adoramus: ne ſerviamus creaturæ potius quam creatori, qui eſt benedictus in ſecula. Honoramus autem reliquias martyrum, ut eum, cujus ſunt martyres, adoremus: honoramus ſervos, ut honor ſervorum redundet ad Dominum,*

G 3 qui

Matth. 10,40 *qui ait: Qui vos ſuſcipit, me ſuſcipit.* ac libro contra eundem Vigilantium edito, *Quis*, ait, *o inſanum caput, aliquando Martyres adoravit? quis hominem putavit Deum?* Sed & Auguſtinus, epiſt. XLIV: *Sciat, a Chriſtianis Catholicis nullum coli mortuorum, nihil denique ut Numen adorari quod ſit factum & conditum a Deo; ſed unum ipſum* DEUM, *qui fecit & condidit omnia.* Nimirum reſpondere hoc ipſo vult magnus Eccleſiæ Doctor *ſacrilegis* illis *convitiis* (ſic enim vocat) quæ, ſub Punicorum nominum velamento, in ſanctos Martyres, ipſumque, ni fallor, Salvatorem noſtrum, & Chriſtianos, a quibus eos omnes ut Numina coli ſibi perſuaſerat, impio ore evomuerat Maximus Madaurenſis, Paganus ille Grammaticus, ſcribens ad Auguſtinum, epiſtola quæ inter Auguſtinianas eſt XLIII, hunc in modum: *Quis ferat, Jovi, fulmina vibranti, preferri Mygdonem, Junoni, Minervæ, Veneri, Veſtaque, Sanaem, & cunctis (proh nefas!) Diis immortalibus archimartyrem Namphanionem*, (heic CHRISTUM Dominum noſtrum innui puto) *inter quos Lucitas etiam haud minore cultu ſuſcipitur, atque alii interminato numero, Diis hominibuſque odioſa nomina; qui conſcientia nefandorum facinorum, ſpecie glorioſæ mortis, ſcelera ſua ſceleribus cumulantes, dignum moribus factiſque ſuis exitum maculati repererunt. Horum buſta, ſi memoratu dignum eſt, rejectis templis, neglectis majorum ſuorum manibus, ſtulti frequentant.*

II. Porro Cyrillus, ubi ſcripſerat quæ jamjam producebamus, in Julianum invehitur, quod Martyrum ἀποθέωσιν venerationemque Chriſtianis objiciat, cum ipſi potius gentiles in Deorum numerum homines, & quidem ſceleratiſſimos, referant. „Quoniam, inquit, credentes „in CHRISTUM fruſtra convitiis appetit, quaſi unius DEI cultui

,, cultui multitudinem hominum, in quibus nihil eſt di-
,, vini, ſtulte prætulerint, oſtendere conabor, inſcitiæ Græ-
,, canicæ criminationes in veritatis cultores impie effu-
,, ſas. Sacra enim ipſi fecerunt hominibus, iisque flagiti-
,, oſis & impudicis, omnique vitio laborantibus. Qualis
,, ſane fuit celeberrimus ille Hercules, quem Jove & Alc-
,, mena prognatum dicunt: cui magnum eximiumque
,, certamen attribuunt, quod nocte una quinquaginta
,, virgines ſtupravit. Alii quoque divinitatis honorem
,, apud illos nacti ſunt: Thebanus ille Mercurius, Æſcu-
,, lapius Memphiticus, Caſtor & Pollux, Apis & Oſiris.
,, Taceo Semeles filium, impurum illum ac profanum.
,, Clemeodem vero his addam, quem in pugilatu crude-
,, lem & inhumanum fuiſſe perhibent, feriſque agreſtibus
,, haud multum cedentem. Quam ob cauſam laudans il-
,, lum Pythius, e ſacris tripodibus hoc, ut ajunt, protulit:

Ὕστατος ἡρώων Κλεομήδης Ἀστυπαλαιεύς,
Ὃν θυσίαις τιμᾶθ' ὡς οὐκέτι θνητὸν ἐόντα.
Ultimus heroum Cleomedes Aſtypalaeus,
Quem ſacrificiis colitis, quaſi non amplius ſit mortalis.

,, Egregia crudelitatis præmia largiris luctatoribus, Py-
,, thie. O Deorum clementiam! o largitatem! In Deo-
,, rum numerum adſcribitur ſceleſtus & homicida. Quæ
,, res illos utique decebat. Alexandrum vero, Philippi
,, filium, tertium ac decimum Deum nuncupare ejus æ-
,, tatis hominibus placuit. Quin & Alexander ipſe, unum
,, e ſuis familiaribus, qui ſibi infamium mulierculárum
,, miniſter fuerat, (Hephæſtion hic erat) Deum renun-
,, ciavit, altarique & ſacrificiis coli juſſit. At ſi quis velit
,, omnia ſigillatim percenſere, longam orationem inſu-
met.

„ met. Infiniti enim reperientur divinitatis nomen ſuffurati. Eadem fere habet Theodoretus, ubi ſupra. Ita
„ namq; ſcribit: Græcorum ſunt libamina, & expiationes,
„ & heroês, & ſemidei, & homines in Deos relati. Her-
„ culem namque, hominem natum, Alcmenæ & Amphi-
„ tryonis filium, Deum, ut ipſis viſum eſt, renunciarunt,
„ Diisque aliis adnumerarunt. & mox: Homo ille cum
„ eſſet, atque Euryſtheo ſervire cogeretur, & templa illi &
„ aras excitarunt, & ſacrificia obtulerunt, & dies feſtos
„ dicarunt, non Spartiatæ ſoli & Athenienſes, ſed Græcia
„ univerſa, & Europæ pars plurima. Sed & in Aſiam quo-
„ que penetravit erroris hujus peſtilentia. Nam & apud
„ Tyrum, & aliis in urbibus, plurima & maxima Herculi
„ templa condiderunt: nec annuos ſolum conventus
„ inſtituerunt, ſed triennalibus etiam certaminibus
„ honorarunt; tametſi mortalem fuiſſe hominem ſci-
„ rent, & hominem nec temperatum, nec ſapientiæ ama-
„ torem; ſed qui vitam in laſcivia & libidine tranſegiſſet.
Similia habet de Æſculapio, Baccho, Cleomede, Antinoo; tandemque concludit: *Quid vos igitur, qui tot numero mortuos homines Deos appellaſtis, nobis ſuccenſetis, qui non Deos facimus, ſed honoramus Martyres tanquam DEI teſtes ſervosque amantiſſimos?* Adde quæ idem habet libro III, & vide præterea Athenagoram in Apologia pro Chriſtianis, Theophilum Antiochenum libris ad Autolycum, Clementem Alexandrinum in Protreptico, Auguſtinum epiſt. XLIV.

III. Ex eodem ethnicæ ἀνθρωπολατρείας crimine, adverſus illos etiam, qui CHRISTUM, hominem e muliere natum, a fidelibus coli vitio ipſis vertebant, Arnobius diſpu-

„ diſputat libro I. Sic enim ſcribit: Natum hominem „ colimus. Quid enim? Vos hominem nullum colitis? „ non unum & alium? non innumeros alios? quinimo „ non omnes, quos jam templis habetis veſtris, mortali- „ um ſuſtuliſtis ex numero, & cœlo ſideribusque donaſtis? „ Si enim forte vos fugit, ſortis eos humanæ & conditio- „ nis fuiſſe communis, replicate antiquiſſimas literas, & „ eorum ſcripta percurrite, qui vetuſtati vicini, ſine ullis „ aſſentationibus cuncta veritate in liquida prodiderunt. „ Jam profecto diſcetis, quibus ſinguli patribus, quibus „ matribus fuerint procreati, qua in nati regione, qua „ gente, quæ fecerint, egerint, pertulerint, actitarint, „ quas in rebus obeundis adverſorum ſenſerint ſecun- „ dantiumque fortunas. Sin autem, ſcientes uteris eſſe „ geſtatos, & frugibus eos victitaſſe terrenis, nihilominus „ tamen nobis nati hominis objectatis cultum, res agitis „ ſatis injuſtas, ut id in nobis conſtituatis eſſe damnabile, „ quod & ipſi vos factitatis; aut, quæ vobis licere per- mittitis, conſimiliter aliis licita eſſe nolitis. Confer O- rigenem adverſus Celſum lib. III.

CAPUT IIX.

DE

ATHEISMO.

Quid? quod ipſius etiam atheiſmi a Paganis po- ſtulati ſint Chriſtiani. Ita quippe Arnobius libro I gentiles alloquitur: *Ergone impiæ religionis ſumus apud vos rei, & , quod caput rerum & columen venera-*

 bilibus

bilibus adimimus obſequiis, ut conditio utamur veſtra, infauſti & ATHEI nuncupamur?: libro III: *Nos impios, irreligioſos vocatis, & ATHEOS*; libro IV: *Nos impios & irreligioſos vocatis, vos contra pios & Deorum contenditis eſſe cultores*; libro V: *Jamdudum me fateor, reputantem mecum in animo rerum hujuſcemodi monſtra*, (de gentilium Diis horumque ſceleribus loquitur) *ſolitum eſſe mirari, audere vos dicere quenquam ex his ATHEUM, irreligioſum, ſacrilegum, qui Deos eſſe omnino aut negent aut dubitent.* Sic Athenagoras, Apologia pro Chriſtianis, inter ἐγκλήματα, quibus fideles ab ethnicis ait proſcindi; primo loco ponit ἀθεότητα: quemadmodum & Antoninus Pius, in edicto pro Chriſtianis, ſubjuncto Apologiæ Juſtini Martyris, quæ poſteriori loco in editionibus vulgo ponitur, nec non Euſebio, libro IV Hiſtoriæ Eccleſ. cap. XIII (ubi tamen per errorem Marco Aurelio tribuitur) recitato. Adde, quæ leguntur apud Juſtinum ipſum in utraque Apologia, Tertullianum in Apologetico cap. VI, X, ſeqq. Minutium in Octavio, Lactantium lib. V, cap. IX, lib. VII, cap. XXVII, Cyrillum Alexandrinum lib. II, VII, X, contra Julianum, Prudentium, περὶ στεφάνων hymno XIV, qui eſt de agone Romani, Dionem Caſſium lib. LXVII, ubi de Clemente & Flavia Domitilla agit. Pertinetque etiam huc, quod CHRISTUS Dominus noſter Paganis dictus fuit *religionis extinctor, & impietatis autor*; qui *impietatem docuerit nationes*: uti ſub initium libri ſui II contra Gentes indicium facit Arnobius.

Chriſtianis vitio datum, quod Templa non haberēt.

II. Idem quoque Arnobius ſub initium libri VI cauſas nobis exponit, quamobrem ἀθεότητος appellatione Chriſtianam pietatem impii infamaverint idolorum cultores. Ita namque ſcribit: *In hac conſueſtis parte crimen*

men nobis maximum impietatis affingere, quod neq; ædes ſacras venerationis ad officia conſtruamus, non Deorum alicujus ſimulacrum conſtituamus, aut formam; neq; altaria fabricemus, non aras; non cæſorum ſanguinem animantium demus, non thura, neque fruges ſalſas; non denique vinum liquens paterarum effuſionibus inferamus. & mox addit, quod hæc intermittantur à Chriſtianis, ita accipi à Paganis, tanquam *impias gererent & ſceleroſas mentes, & aliquem* ſumpſerint *temeraria in Deos deſperatione contemptum.* Eodem ſpectant iſta Cæcilii apud Minutium Felicem: *Templa ut buſta deſpiciunt* Chriſtiani, *Deos deſpuunt, rident ſacra*; & quæ ibidem leguntur paulo poſt: *Cur nullas aras habent, templa nulla, nulla nota ſimulacra?* Nec aliter Celſus, de quo Origenes lib. VIII: ὁ Κέλσος φησὶν ἡμᾶς βωμοὺς, καὶ ἀγάλματα, καὶ νεὼς ἱδρύεσθαι φεύγειν, *Celſus ait, nos ab aris, & ſimulacris, & templis conſtruendis abſtinere.* Quin Julianus etiam ὁ παραβάτης, quod nulla excitent θυσιαστήρια, apud Cyrillum libro x noſtris objicit.

III. Scilicet iis temporibus ædificia ſplendida non habebant Chriſtiani, quibus religionis officia obirent; ſed latebras ſectabantur, perſecutorum metu, & vel in terræ congregabantur cavernis, vel ad ædes privatas confugiebant, denique quibus poterant locis coibant. Quam in rem Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium lib. VII, cap. XXII, *Cum*, inquit, *ab omnibus perſecutione agitati eſſemus, & multati morte, feſtum lætis animis celebravimus, & ſingula loca, ad ſingula afflictionum genera nobis præſtituta, ut ager ſylveſtris, ſolitudo deſerta, navis fluctibus jactata, diverſorium publicum, & horridus carcer, opportuna videbantur, in quibus celebres conventus maxime cum ſtudio ageremus.* Et ſi

quam

quando, conſopitis aliquantiſper motibus, e cryptis licebat prodire in lucem publicam, domus quidem excitabant, ſed humiles, & a privatis ædibus nihil aut parum differentes. Quas *conventicula* fuiſſe appellatas, liquet ex his Arnobii, ad finem libri IV: *Noſtra quidem ſcripta cur ignibus meruerunt dari? cur immaniter conventicula dirui, in quibus ſummus oratur Deus?* item ex illis Lactantii, de perſecutione Diocletianea loquentis, libro V Divin. Inſt. cap. XI: *Aliqui* provinciarum Præſides *ad occidendum præcipites extiterunt: ſicut unus in Phrygia, qui univerſum populum cum ipſo pariter conventiculo concremavit.* Utitur etiam hac voce Ruffinus, dum, quæ τὰς οἴκους ἐν οἷς (Χριστιανοὶ) συνήγοντο, nuncupat edictum Cæſareum, Euſebio lib. IIX, cap. XVII, recitatum, ipſe in ſua translatione vocat *conventicula, in quibus* Chriſtiani *orare conſueverunt.* Quid? quod appellatio iſta etiam occurrit apud τὸν ἔξω Ammianum Marcellinum; cujus hæc ſunt, libro XXVII: *Conſtat, in baſilica Sicinni, ubi ritus Chriſtiani eſt conventiculum, uno die centum triginta ſeptem reperta cadavera peremptorum.*

Conventicula Chriſtianorum veterum.

IV. Imo quoque (ut id obiter interſeram) florentibus jam Chriſtianorum rebus, etiamſi loca, in quibus συνάξεις ſuas celebrabant, amplitudine & magnificentia non cederent pleriſque Gentilium ſuperſtitioni dicatis ædificiis, *Templorum* nihilominus appellationem, quaſi ab idololatria profectam, communiter eos reſpuiſſe, ex Hieronymi epiſtola ad Riparium Presbyterum liquet. Diſputans nimirum ibi Hieronymus adverſus Vigilantium, idololatriæ inſimulantem qui Martyrum colerent reliquias, *Ergo*, ait, *quotieſcunque Apoſtolorum, & Prophetarum, & omnium martyrum Baſilicas ingredimur, toties idolorum*

Templorum appellatio priſcis Chriſtianis exoſa.

Templa veneramur? & mox clarius: *Ergo & Domini corpus, in ſepulchro poſitum, immundum fuit? & angeli, qui candidis veſtibus utebantur, mortuo cadaveri atque polluto præbebant excubias, ut poſt multa ſecula Dormitantius* (ita vocat Vigilantium, quod pernoctationes ad Martyrum ſepulchra reprobabat) *ſomniaret, imo eructaret immundiſſimam crapulam; & cum Juliano perſecutore Sanctorum Baſilicas aut deſtrueret, aut in Templa converteret?* Quibus gemina omnino ſunt quæ leguntur in ſermone de Continentia, Zenonis Veronenſis nomen præferente: *Proponimus, ut ſæpe contingit, in unum ſibimet convenire diverſæ religionis diem, quo tibi Eccleſia, illi adeunda ſint Templa.* Quæ quidem producta loca, præter id, quod Templorum voce peculiariter idolorum fana olim Chriſtianos appellaſſe docent, ſuggerunt etiam nomina duo præcipua, quibus ſuas ipſorum deſignare ædes ſacras iidem conſueverunt. Zeno nimirum, vel quiſquis autor illius ſermonis, utitur voce *Eccleſiæ.* De qua Auguſtinus, Quæſt. ſuper Leviticum, quæſt. LVII: *Eccleſia dicitur locus, quo Eccleſia congregatur. Nam Eccleſia homines ſunt, de quibus dicitur*: Ut exhiberet ſibi glorioſam Eccleſiam. *Hanc tamen etiam vocari ipſam domum orationum, idem Apoſtolus teſtis eſt, ubi ait:* Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum, an Eccleſiam DEI contemnitis? *Et hoc quotidianus loquendi uſus obtinuit, ut ad Eccleſiam prodire, aut ad Eccleſiam confugere, non dicatur, niſi quod ad locum ipſum parieteſque prodierit vel confugerit, quibus Eccleſia congregatio continetur.* Ubi quidem, an ipſe Apoſtolus memorato loco Eccleſiæ vocabulum pro æde ſacra uſurpet, diſceptari inter eruditos ſolet. Et quantumvis affirmativam

Vid. ſup. 16. lin. 10.

Ædes ſacræ olim dictæ Eccleſiæ.

Epheſ. 5, 27.

1 Cor. 11, 22.

nonnulli cum Auguſtino tueantur, inprimis Nicolaus Fullerus, libro II Miſcellan. ſacr. cap. IX; alii tamen rectius negativam amplectuntur, pro qua erudite diſputantem, vide, etiam contra Fulleri argumenta, Fridericum Spanhemium, Dubiorum Evangelicorum parte III, dub. LXXVII. Ceterum quod apud ſcriptores Eccleſiaſticos, etiam Auguſtino antiquiores ac recentiores, hoc ſenſu ea vox capi ſoleat, notius eſt & certius, quam ut ulla probatione egeat. Iſidorus tamen Peluſiota, epiſtola CXLVII libri II, diſtinguit inter ἐκκλησίαν, quæ ipſi eſt *Sanctorum cœtus ex recta fide atque optima vivendi ratione collectus*, & ἐκκλησιαστήριον, locum cœtui illi colligendo deſtinatum: quem τῆς ἐκκλησίας οἶκον lib. VII Hiſt. eccl. cap. XXX, lib. IIX, cap. XIII, lib. IX, cap. IX, Euſebius nuncupat. Hieronymus, ut ſupra viſum, *Baſilicas* ſacra iſta loca vocat, nomine itidem poſt Conſtantini M. tempora eo ſenſu uſitatiſſimo, ut apud ipſum etiam ſcriptorem ethnicum, Ammianum Marcellinum, loco quem ſupra dedimus, occurrat. Poſtquam videlicet, pace Chriſtianis conceſſa, auguſtæ & ſpatioſæ ædes, in quibus publica pietatis exercitia inſtituerentur, ſtrui cœperunt, ceſſit quoque iisdem appellatio magnificorum & ampliorum ædificiorum, qualia erant Baſilicæ: de quibus vide Lud. Cæl. Rhodiginum Lection. antiqv. lib. XXIIX, cap. XI. Ceterum de variis nominibus, quibus loca divino cultui deſtinata veteres inſignivere Chriſtiani, operoſius agere noſtri nunc non eſt inſtituti. Legat de hoc argumento, qui voluerit, Jacobum Pamelium & Jo. Lud. de la Cerda ad Tertulliani de Idololatria caput VII, Rodolphum item Hoſpinianum de Origine Templorum lib. I, cap. VII. Nos ad priora redimus.

Eccleſiæ domus.

Baſilicæ.

... I.

v. Vi-

Quomodo Chriſtiani Templa ut buſta deſpexerint. num. 2.

V. Vidimus ſupra, Cæcilium Natalem, *ſuperſtitioſis vanitatibus etiamnunc inhærentem* (uti de eo, ſtatim ſub initium ſui dialogi, Minutius Felix loquitur) Chriſtianos impietatis poſtulare, quod non ſolum ipſi templa non haberent, ſed eadem inſuper *ut buſta deſpicerent*. Qui quidem loquendi modus ita capi poſſet, ac ſi nihil eo innueretur aliud, quam quod vehementiſſime gentilium templa averſati fuerint, qui, ſpretis idolis, unum verum DEUM venerabantur. Mire enim buſta horrebant gentiles. Unde Apulejus in ſua Apologia à Mercurio petit, ut calumniatori Æmiliano objiciat *omnia buſtorum formidamina, omnia ſepulchrorum terriculamenta*. & Ammianus Marcellinus libro XIX, *Si quis*, ait, *per monumentum tranſiſſe veſpere malevolorum argueretur indiciis, ut veneficus, SEPULCHRORUMQ. HORRORES, & errantium ibidem animarum ludibria colligens vana*, (nimirum *vulgus exiſtimat*, ſcribit libro II Divin. Inſtitut. cap. II Lactantius, *mortuorum animas circa tumulos & corporum ſuorum reliquias oberrare*) *pronunciatus reus capitis interibat*. Idem Ammianus, ſub initium fere libri XXXI, de Hunnorum gente loquens, *Ædificiis*, inquit, *nullis unquam tecti: ſed hæc VELUT ab uſu communi diſcreta SEPULCHRA declinant*. Interim videtur plus heic innuere Cæcilius. Nam revera Chriſtiani pro buſtis habebant & ſepulchris ethnicorum templa. Quam in rem Clemens Alexandrinus in Protreptico, ubi de Templis agit, ea quidem ita ſpecioſo nomine dici ſcribit, reapſe autem eſſe ſepulchra, (νεὼς μὲν ἐυφήμως ὀνομαζομένους, τάφους δὲ γενομένους, τουτέστι, τοὺς τάφους νεὼς ἐπικεκλημένους) indeque erubeſcere debere Paganos, quod ſepulchra colant. Cauſam vero, quamobrem ſic appellet, hanc

affert,

affert, *quod multa ex his templa* (exprimam ipſius mentem verbis Arnobii, qui integrum Clementis textum, latinitate donatum, in librum ſuum adverſus Gentes vi tranſtulit) *quæ tholis ſunt aureis, & ſublimibus elata faſtigiis, auctorum conſcriptionibus comprobatur contegere cineres atq; oſſa, et functorum eſſe corporum ſepulturas.* Id quod variis mox exemplis probatur, Ita namq; pergit e Clemente Arnobius: In „ hiſtoriarum Antiochus nono, Athenis in Minervio me„ morat Cecropem eſſe mandatum terræ; in templo rur„ ſus ejusdem, quod in arce Lariſſæ eſt, conditus ſcribitur „ atque indicatur Acriſius: Erichthonius Poliadis in fa„ no: Dairas & Immarus fratres in Eleuſino conſepto, „ quod civitati ſubjectum eſt. Quid? Celei virgines „ non in Cereris Eleuſinæ humationis habuiſſe perhiben„ tur officia? non in Dianæ delubro, quod in Apollinis „ conſtitutum eſt Delii; Hyperocha Laodiceque, quas „ advectas illuc eſſe finibus ex hyperboreis indicatur? In „ Didymæo Mileſio Clearchum dicit habuiſſe ſuprema „ Leandrius funeris. Leucophrynæ monumentum in „ fano apud Magneſiam Dianæ eſſe, Myndius profitetur, „ ac memorat Zeno. Sub Apollinis arula, quæ Telmeſſi „ apud oppidum viſitur, Telmeſſum eſſe conditum Va„ tem, non ſcriptis conſtantibus indicatur? Ptolemæus „ Ageſarchi, de Philopatore quem edidit primo, Cyni„ ram Regem Paphi cum familia omni ſua, imo cum o„ mni proſapia in Veneris templo ſitum eſſe, literarum auctoritate declarat. Hæc e Clemente Alexandrino, etſi diſſimulato ejus nomine, Arnobius, addens de ſuo: *Ex eo nonne patet, & promptum eſt, aut pro Diis immortalibus mortuos vos colere, aut inexpiabilem fieri numinibus contumeliam,* quo-

quorum [illegible] & templa [illegible] funeſtata ſunt buſtis? Repetit etiam Clementis locum hunc ex parte, tacito nomine autoris adjecto, Euſebius lib. II Præpar. Evang. cap. IX.

VI. Porro & Tertullianus, libro de Spectaculis cap. XIII, eodem gradu templa & ſepulchra a fidelibus fuiſſe poſita affirmat, quod, licet illa Deorum, hæc mortuorum, nihil tamen aliud ſint gentilium Dii quam homines mortui. *Quoniam*, inquit, *utraque ſpecies idolorum conditionis unius eſt, dum mortui & Dii unum ſunt, utraque idololatria abſtinemus, nec minus templa quam monimenta deſpuimus.* Conjungit quoque templa & ſepulchra Prudentius, libro I adverſus Symmachum, verſ. 190. dum ſcribit:

Et tot templa Deûm Romæ, quot in urbe ſepulchra
Heroum, numerare licet.

Et de Georgio, illo Alexandrinorum ſub Conſtantio Epiſcopo, Ammianus Marcellinus, libro XXII. *Cum tranſiret*, ait, *per ſpecioſum Genii templum, multitudine ſtipatus ex more, flexis ad ædem ipſam luminibus, quam diu*, inquit, (alii, *quamdiu*, legunt) *ſepulchrum hoc ſtabit?*

VII. Quid? quod ipſiſmet ethnicis nonnullis templa fuiſſe pro buſtis habita, manifeſto doceat, in ſua pro Chriſtianis Apologia, Athenagoras. Hæc enim ejus verba de Ægyptiis: *Deorum nomine cœlum, terram, Solem, & Lunam comprehendunt; reliquos vero* Deos *homines mortales exiſtimant, & templa ipſorum ſepulchra.* Quemadmodum & apud ſcriptores τοῖς ἔξω templi & ſepulchri nomina promiſcue interdum uſurpari, obſervare licet. Quam in rem illuſtris eſt locus Lycophronis, Poetæ vetuſtiſſimi in ſua Alexandra, vel Caſſandra, templum Junonis (quo

Etiam Paganis templa aliquando ſepulchra, & contra.

 Dio-

Diomedes. ut ſepeliretur, ac receperit) vocantis τύμβον, *ſepulchrum*. Ubi interpres Iſaacius Tzezes: Δοῦρις φησὶν ἐν τῷ περὶ ἀγώνων, τοὺς βωμοὺς τάφους καλεῖσθαι, *Ait Duris in libro certaminum, aras vocari ſepulchra*. Sed & in Virgiliano iſto, Æneid. IV, 457.

> - - *Fuit in tectis de marmore templum*
> *conjugis antiqui, miro quod honore colebat,*
> *velleribus niveis & feſta fronde revinctum;*

Templum viri docti poſitum monent a Poeta pro Sichæi ſepulchro, quod religioſe Dido coluerit. Nec deſunt, qui etiam Claudiani locum de Bello Getico:

> - - - *Procul arceat altus*
> *Jupiter, ut delubra Numæ, ſedemque Quirini*
> *barbaries oculis ſaltem temerare profanis*
> *poſſit;* - - - - -

ita accipiant, ut *delubra Numæ* ejusdem ſint ſepulchra. Refer denique huc, quod Tiberius, cum templum ei condere vellent Hiſpani, aſpernatus honorem iſthunc, *Quæ ſaxo ſtruuntur*, dixit, *ſi judicium poſterorum in odium vertit, pro ſepulchris ſpernuntur*; notante Tacito Annal. IV.

Chriſtiani Deos & Tēpla gentilium deſpuebant; n. 2.

IIX. Tandem & eo nomine Cæcilium impietatis Chriſtianos accuſare diximus, quod *Deos deſpuerent*. Et ſane mos erat olim CHRISTI ſervis, ut hac contumelia adverſus idola, templa, aras Paganorum uterentur; nempe juxta illud Gregorii Nazianzeni, Baſilio parentantis: ὅσον εἰς δαίμονας φέρει, διεπτύσαμεν, *Quicquid fert ad dæmonas, deſpuimus*. Ita jam ſupra ex Tertulliani libro de Spectaculis produximus locum, ubi ait, fideles non minus templa quam monumenta deſpuere: idemque, libro de Idololatria cap. IX, diſputans adverſus negotiatores mercium, quæ

quæ idolorum ſerviebant cultui, *Quo ore*, ait, *Chriſtianus thurarius, ſi per templa tranſibit, fumantes aras deſpuet & exſufflabit, quibus ipſe proſpexit?* Similiter lib. II ad uxorem cap. V, proponens incommoda, quæ ex matrimonio fidelis cum Pagano naſcantur, *Latebisne tu*, ſcribit, *cum aliquid immundum flatu exſpuis?* Sic quoque Prudentius, ſub initium libri I adverſus Symmachum, ſignificaturus Romanorum pleroſque omnes idolis nuncium miſiſſe, atque *in* CHRISTI *leges tranſiſſe*, (ut loquitur)

ad populum, inquit, *converte oculos: quota pars eſt,*
quæ Jovis infectam ſanie non deſpuit aram?

Idem Poeta de Romano martyre annotat, quod, cum ad ſacrificandum invitaretur a Præfecto Aſclepiade, homine Pagano, ſolitum illum Chriſtianorum morem obſervaverit. Hæc enim ejus verba ſunt, περὶ στεφάνων hymn. XIV, 916. ſeqq.

Reponit (Aſclepiades) *aras ad tribunal denuo,*
& thus, & ignem vividum in carbonibus,
Taurina & exta, vel ſuilla abdomina.
Ingreſſus ille (Romanus) *ut hos paratûs perſpicit,*
inſufflat, ipſos ceu videret dæmones.

Sic quoque Beda in Felice: *Sanctus Felix, dum ad Secretarium Judicis eſſet perductus juxta templum Serapidis, dum cogeretur ad ſacrificandum, exſufflavit in faciem ſtatuæ areæ, & ſtatim cecidit.* ac in paſſione Satyri: *Apud Achajam natalis Beati Satyri martyris: qui tranſiens ante quoddam idolum, cum exſufflaſſet illud, ſignans ſibi frontem, ſtatim corruit.* Similia leguntur & alias in Martyrum actis paſſim. Quin manibus pedibusque Deorum ſimulacra proturbarunt quandoque fideles. Sic, apud Prudentium, περὶ στεφάνων hymno IX, 71. Eulalia:

Imo manibus pedibusque ſimulacra proturbabant.

Quæritis, o miſeranda manus,
Chriſticolûm genus? En! ego ſum
Dæmoniis inimica ſacris.
Idola protero ſub pedibus,
pectore & ore DEUM fateor.

& mox, ubi ad ſacrificandum blandis a Præſide verbis ſancta virgo ſolicitaretur, narrante amplius Poeta, verſ. 127.

infremit, inque tyrannioculos
ſputa jacit: ſimulacra dehinc
diſſipat; impoſitamque molam
thuribulis pede proſubigit.

Unde & Celſus, apud Origenem libro IIX, Chriſtianos ad hunc modum introducit loquentes: *ἰδὼ, παρεστὼς τῷ ἀγάλματι τοῦ Διὸς, ἢ Ἀπόλλωνος, ἢ ὅτου δήποτε θεοῦ, βλασφημῶ καὶ ῥαπίζω, καὶ ὐδέν μοι ἀμύνεται, Ecce, Jovis, aut Apollinis, aut cujuslibet Dei ſimulacro adſiſtens, maledico ei & conſpuo incutio, nec tamen eorum ullam pœnam de me ſumit.*

Exclamatio gentilium ſolennis: Tolle Atheos!

IX. Atque hæc & ſimilia in cauſa erant, ut atheiſmus Chriſtianis objectaretur, etiam in publicis amphitheatris; ubi frequentiſſime audiebatur exclamatio: *αἶρε τοὺς ἀθέους, Tolle Atheos!* Quam etiam pronunciare jubebantur qui CHRISTUM fidemque Chriſtianam erant abnegaturi. Ita Smyrnenſes in ſua epiſtola, apud Euſebium libro IV, cap. XV, narrant, cum perſecutio Smyrnæ contra Chriſtianos ſæviret, & plures Confeſſores, atque inter hos Germanicus, inſignis adoleſcens, poſt incredibiles cruciatus & tormenta fortiter tolerata feris objecti eſſent, totam ethnicorum turbam, ut ſimul & ſemel omnes illic fideles deleret, ſubito Proconſulem inclamaſſe: *αἶρε τοὺς ἀθέους, ζητείσθω*

τείσθω Πολύκαρπος, *Tolle Atheos! Quæratur Polycarpus!* & poſtea Proconſulem ipſum ad pronunciandà verba illa invitaſſe Polycarpum, jam captivum. Qui vero, gravi conſtantique vultu univerſam quæ in ſtadio erat multitudinem intuens, & manus verſus eam tendens, moxque ingemiſcens, & oculos in cœlum attollens, dixerit: αἶρε τοὺς ἀθέους, *Tolle iſtos Atheos!* Vide tractatum noſtrum de Perſecutionibus Eccleſiæ, ſect. v, 4.

x. Recte vero & egregie Juſtinus Martyr Apologia ad Antoninum: ὁμολογοῦμεν τῶν τοιούτων νομιζομένων Θεῶν ἄθεοι εἶναι, ἀλλ' οὐχὶ τοῦ ἀληθεστάτου, καὶ πατρὸς δικαιοσύνης, καὶ σωφροσύνης, καὶ τῶν ἄλλων ἀρετῶν, ἀνεπιμίκτου τε κακίας Θεοῦ, ἀλλ' ἐκεῖνόν τε, καὶ τὸν παρ' αὐτοῦ υἱὸν ἐλθόντα, καὶ διδάξαντα ἡμᾶς ταῦτα, πνεῦμά τε τὸ προφητικὸν, σεβόμεθα καὶ προσκυνοῦμεν; *Profitemur, nos iſtos, qui pro talibus vulgo habentur, Deos haud agnoſcere, eorumque intuitu Atheos eſſe; at non reſpectu veriſſimi illius* Dei, *Patris videlicet Juſtitiæ, caſtitatis, aliarumque virtutum, ab omni vitiorum admixtione alieni. Sed hunc ipſum, & qui ab eo venit, atque iſta nos docuit, —— Filium, Spiritumque Propheticum, colimus & adoramus.*

Caput IX.

De Christianæ Religionis Novitate a Gentibus Exprobrata.

Superiori de Atheiſmo criminationi affinis, quod (uti Arnobius libro i & ii loquitur) *inauditos cultus terrarum*

 rarum

rarum in orbem trahere, incognitas, repentinas agitare atque inducere religiones, & cerimonias antiquitus inſtitutas novitatis ſuæ ſuperſtitione contaminare Chriſtiani dicebantur. Unde Suetonio in Nerone cap. XVI iidẽ audiunt *genus humanum ſuperſtitionis novæ.* & inſcriptio vetus Hiſpanica ſic habet: NERONI. CLAUDIO. CÆSARI. AUG. PONT. MAX. OB. PROVINCIAM. LATRONIBUS. ET. HIS. QVI. NOVAM. GENERI. HUMANO. SUPERSTITIONEM. INCULCARANT. PURGATAM. Videatur Adolph. Occo Inſcript. Hiſpan. pag. 26. Jan. Gruterus in Theſauro pag. 238. Joſ. Scaliger de Emendatione temporum libro V, Baronius ad ann LXIX, 46. Etiam Theophilus Antiochenus, libro III ad Autolycum, teſtis eſt, infideles religionem noſtram dicere ſolitos λόγον πρόσφατον, *doctrinam nuperam:* quomodo & apud Arnobium libro II vocant *religionem novellam, ante dies natam propemodum paucos,* nomenque Chriſtianorum *novellum nomen:* & impius ille Celſus, apud Origenem libro I, cavillatur, JESUM πρὸ πάνυ ὀλίγων ἐτῶν, *ante valde paucos annos fuiſſe inſtitutorem* Chriſtianæ *doctrinæ.* Sed & pertinent huc, quæ in edicto Diocletiani, (quod ſupereſt in fragmentis C. Hermogeniani lib. VII, ſub titulo de Maleficis & Manichæis, ex editione J. Cujacii, P. Pithœi, & aliorum, in Collat. Legum Judaicarum & Romanarum tit. XIV,) habentur. Quanquam enim de Manichæis hæreticis ſolummodo loqui videatur iſtud edictum, Manichæorum tamen titulo omnes in univerſum Chriſtianos ibi innui, dudum obſervarunt viri eruditi. Et alias etiam ſatis conſtat, quemadmodum cum Judæis, ſic item cum peſſimis quibusque hæreticis, veros Chriſtianos confundere conſueviſſe ethnicos. Ita autem in citato

edicto

edicto inter alia legitur: *Dii immortales providentia ſua ornare* (al. ordinare) *& diſponere dignati ſunt, quæ bona & vera ſunt, & multorum & bonorum & egregiorum virorum & ſapientiſſimorum conſilio & tractatu inlibata probarentur & ſtatuerentur: quibus nec obviam ire, nec reſiſtere fas eſt. NEQUE REPREHENDI A NOVA VETUS RELIGIO DEBET. Maximi enim criminis eſt, ea tractare* (al. retractare) *quæ ſemel ab antiquis tractata & definita ſunt, ſtatum ac curſum tenent atque poſſident. Unde pertinaciam pravæ mentis nequiſſimorum hominum punire ingens nobis ſtudium eſt. Hi enim, qui novellas & inauditas ſectas deterioribus* (legendum haud dubie, veterioribus) *religionibus oppónunt, ut pro arbitrio ſuo pravum* (al. prava) *excludant, quæ divinitus conceſſa ſunt.* Ad hunc modum decretum illud Imperatorium.

II. Ceterum in eis, quæ ad religionem pertinebant, aliquid innovare velle, crimen fuiſſe, apud Romanos cumprimis, atrociſſimum, multa prætereaſunt quæ edocent. Sane inter ipſius Romuli leges, prout a Fr. Balduino JCto ſunt editæ, VII hæc eſt: *Deos peregrinos, præter Faunum, ne colunto.* & Cicero, lib. II de Legibus, tanquam a veteribus accepta hæc recenſet: *Separatim nemo habeſſit Deos, neve novos: ſed nec advenas, niſi publice adſcitos, privatim colunto.* Atque hinc Poſthumius Coſ. de abolendis Bacchanalibus verba faciens, apud Livium lib. XXIX, cap. XVI, *Quoties,* inquit, *hoc patrum avorumque ætate negotium eſt magiſtratibus datum, ut ſacra externa fieri vetarent, Sacrificulos Vateſque foro, circo, urbe, prohiberent, vaticinos libros conquirerent comburerentque, omnem diſciplinam ſacrificandi, præterquam more Romano, abolerent? Judicabant enim prudentiſſimi viri omnis divini humaniq; juris, nihil æque diſ-*

Quantum apud Romanos fuerit crimen, in rebus ad religionẽ ſpectantibus aliquid innovare.

diſſolvendæ religioni eſſe, quam ubi non patrio, ſed externo ritu ſacrificaretur. Sic lib. xxv, cap. I, Livius narrat, cum, belli tempore, externa religio urbem inceſſiſſet, ritusque Romani contemni cœpiſſent, primo ſecretas bonorum indignationes fuiſſe exauditas, deinde ad Patres etiam & ad publicam querimoniam rem exceſſiſſe; incuſatis graviter ab Senatu ædilibus triumviriſque capitalibus, quod non prohiberent: tandem M. Æmilio, Prætori urbis, negotium ab Senatu datum, ut novis religionibus populum liberaret. Nempe animadvertebant Romani, mutationem religionis ipſarum etiam legum & moris a majoribus traditi mutationem ſecum trahere. Unde Mæcenas, conſilia, quibus admiſſis feliciter imperaturus eſſet, Auguſto ſuggerens, apud Dionem Caſſium lib. LII, inter alia, *Deos,* inquit, *ſemper & ubique ita cole, ut moribus patriæ receptum eſt, ad eundemque cultum alios compelle. Peregrinarum vero religionum autores odio & ſuppliciis proſequere; non Deûm modo gratia, quos qui contemnit, haud dubie nil aliud quoque magni faciet; ſed propterea etiam, quod, qui nova Numina introducunt, multos ad uſum peregrinarum legum pelliciunt. Inde conjurationes, coitiones, & conventicula exiſtunt.* Et Suetonius ſane Auguſtum eo nomine laudat, in ipſius vita cap. XCIII, quod, ſicut veteres & receptas ceremonias reverentiſſime coluerit, ita ceteras contemptui habuerit; ut nec in peragranda Ægypto paulum deflectere ad viſendum Apin voluerit: quemadmodum & Tiberium, vitæ ipſius cap. XXXVI, idem laudat Tranquillus, quod externas contempſerit ceremonias, & Ægyptios Judaicosque ritus compeſcuerit; ſimiliterque Spartianus commendat Hadrianum, quod ſacra Romana diligenter curarit, cetera contempſerit.

III. Sed

III. Sed &, quod ſuaſit Mæcenas, peregrinarum religionum autores ſuppliciis eſſe afficiendos, id apud Romanos ſic obſervatum eſſe conſtat. Ita Julius Paulus, JCtus ſub Antonino Caracalla celebris, libro v Sententiarum receptarum, tit. XXI, *Qui novas*, ait, *& uſu vel ratione incognitas religiones inducunt, ex quibus animi hominum moveantur, honeſtiores deportantur, humiliores capite puniuntur.* Quomodo item Joſephus, libro II contra Apionem, teſtis eſt, etiam apud Perſas multos ob peregrinæ religionis cauſam ſuppliciis acerbiſſimis affectos; & Scythas ſuum Anacharſim, ex Græcia reverſum, interemiſſe, quod Græcorum Deos colere videretur: denique de Athenienſibus (quos & Iſocrates in Areopagitico laudat, quod neque patria ſacra a majoribus accepta dereliquerint, neq; iis quidquam adjecerint, ſed neque peregrina ulla receperint, ἐκεῖνο μόνον ἐτήρουν, inquiens, ὅπως μηδὲν μήτε τῶν πατρίων καταλύσωσι, μήτ᾽ ἔξω τῶν νομιζομένων προσθήσωσιν· οὐ γὰρ ἐν ταῖς πολυτελείαις ἐνόμιζον εἶναι τὴν εὐσέβειαν, ἀλλ᾽ ἐν τῷ μηδὲν κινεῖν, ὧν αὐτοῖς οἱ πρόγονοι παρέδοσαν) annotat, quod mulierem quandam Sacerdotem ob exterorum Deorum cultum interfecerint, capitisque ſupplicium decreverint, ſi quis peregrinum aliquem Deum introduceret. Et ſane in ipſo ſacro Codice, Act. XVII, legimus, Athenienſes Paulum, quod *peregrinorum Deorum videretur annunciator* (ξένων δαιμονίων καταγγελεὺς) novamque, ut ajebant, doctrinam eorum auribus inſerret, in Areopagum pertraxiſſe, ubi de ſummis criminibus cognitionem haberi ſolitam, & nominatim de impietate, ex illis quæ Diogenes Laertius libro II, cap. IX, de Theodoro narrat, ſatis liquet. Ait namque, cum ἀσεβείας reus ageretur Theodorus hic, pa-

rum abſuiſſe quin in Areopagum abduceretur; liberatum tamen eſſe a Demetrio Phalereo: etiamſi Ambicrates ſcribat, quod damnatus ſit, venenumq; hauſerit. Certe Socratem bibiſſe cicutam, ὡς μὲν νομίζει θεοὺς ἡ πόλις, οὐ νομίζοντα, ἕτερα δὲ καινὰ δαιμόνια εἰσηγούμενον, *quod non eosdem atque civitas Deos putaret, & nova numina inveheret* (hoc vero illud ipſum eſt crimen, cujus inſimulabatur Paulus) idem annotavit Laertius loco citato cap. v. Confer quoque Euſebium ſub initium libri IV Præparationis Evangelicæ. Ut proinde merito ſcribat Origenes, libro I adverſus Celſum: *Arbitror, neminem, qui recte res examinet, dicturum, Apoſtolos elegiſſe vagam vitam prædicandæ* JESU *doctrinæ gratia, absque vehementi fiducia, quam eis Magiſter indidit, non ſolum vivendi juxta ſuam diſciplinam, verum etiam alios inſtruendi ad vitæ rationem ſimilem: cum talis eſſet rerum ſtatus, ut capitale periculum præſto eſſet audenti novare vulgo receptos ritus ubique gentium, & omnes veterum opinionum tenaces infenſos ſibi reddere.*

Pertinacia ethnicorum in ſervanda ſuperſtitione a majoribus accepta.

IV. Atque hinc non mirum, religionem a majoribus ſibi traditam pertinaciſſime defendiſſe nationes, nec ullis rationibus eo potuiſſe deduci, ut inveteratam patriamque linquerent, novosque cultus amplecterentur. *Non me*, inquit apud Ciceronem, libro III de Natura Deorũ, Cotta, *ex ea opinione, quam a majoribus accepi de cultu Deorũ immortalium, ullius unquam oratio, aut docti aut indocti, movebit*. Qui & paulo poſt, ad veritatẽ religionis oſtendendam unum hoc ſatis eſſe affirmat, *ita nobis majores noſtros tradidiſſe*; quinimo diſerte Balbum ſic affatur: *A te Philoſopho rationem accipere debeo religionis, majoribus autem noſtris, etiam nulla ratione reddita, credere.* Quem locum e

Tul.

Tullio repetens Lanctantius libro ii, cap. vi, iſta adjicit: *Hæ ſunt religiones, quas, ſibi a majoribus ſuis traditas, pertinaciſſime tueri ac defendere perſeverant: nec conſiderant, quales ſint; ſed ex hoc probatas atque veras eſſe confidunt, quod eas veteres tradiderunt: tantaque eſt auctoritas vetuſtatis, ut inquirere in eam ſcelus eſſe ducatur. Itaque creditur ei paſſim tanquam cognitæ veritati.* Idem libro v, cap. xix, *Inhærentes*, inquit, *perſuaſioni vulgari, libenter errant, & ſtultitiæ ſuæ favent. A quibus ſi perſuaſionis ejus rationem requiras, nullam poſſunt reddere; ſed ad majorum judicia confugiunt: quod illi ſapientes fuerint, illi probaverint, illi ſcierint quid eſſet optimum: ſeque ipſos ſenſibus ſpoliant, ratione abdicant, dum alienis erroribus credunt.* Spectant quoque huc omnino iſta Cæcilii apud Minutium: *Quanto venerabilius ac melius, antiſtitem veritatis majorum excipere diſciplinam? religiones traditas colere? Deos, quos a parentibus ante imbutus es timere quam noſſe familiarius, adorare? nec de numinibus ferre ſententiam; ſed prioribus credere, qui adhuc rudi ſeculo, in ipſius mundi natalibus, meruerunt Deos vel faciles habere, vel Reges?* item illa Paganorum, apud Arnobium libro ii, excuſatio, non poſſe ſe *antiquam & patriam* religionem *linquere, & in barbaros ritus peregrinosque traduci.* Sed & Licinius, apud Euſebium libro ii de vita Conſtantini cap. v, ita alloquitur milites: ἄνδρες φίλοι καὶ σύμμαχοι, πάτριοι μὲν οἵδε θεοὶ, οὓς ἐκ προγόνων τῶν ἀνέκαθεν παρειληφότες σέβειν, τιμῶμεν. Symmachus in oratione ad Augg. *Præſtate, oro vos; ut ea, quæ pueri ſuſcepimus, ſenes poſteris relinquamus.* & rurſum: *Si longa ætas autoritatem religionibus facit, ſervanda eſt tot ſeculis fides, & ſequendi ſunt nobis parentes, qui ſecuti ſunt feliciter ſuos.* Aſclepiades, Judex ille impius, apud Prudentium in Romano, ſive περὶ ςεφάνων hymno xiv, 416.

 Hoc

Hoc ſanctum ab ævo eſt, hoc ab atavis traditum.

Adde præterea quæ habent Zaleucus apud Stobæum ſerm. XLII, Porphyrius περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων lib. II, Iſocrates orat. II ad Nicoclem, de Regno, Euſebius lib. I Præpar. Evangel. cap. II, Chryſoſtomus homil. VII in I ad Corinthios.

Dii peregrini à Romanis culti. V. Ututautem hæc ita ſe habeant, tamen nec illud poteſt negari, ſupra, num. I, memoratam Romuli legem, ſimilesque, quibus Deos peregrinos colere prohibebantur, conſtitutiones, ſæpe transgreſſos fuiſſe Romanos. Aperte id Symmacho, in religionis negotio majorum placita ſequenda eſſe urgenti, (verba paulo ante dedimus) reſpondet Prudentius, libro II eorum quos ipſi *num. 4.* oppoſuit, verſ. 309.

Quid, inquiens, *mihi ſæpius ſoliter, Romane Senator,*
objectas? cum ſæpe Patrum populique frequenter
in tabulis placiti ſententia flexa novarit.

& paulo poſt, verſ. 349.

Sanguinis Hectorei populum, probo, tempore longo
non multos coluiſſe Deos, rarisque ſacellis
contentum, paucas poſuiſſe in collibus aras.
Innumeros poſt deinde Deos, virtute ſubactis
urbibus, ex claris peperit ſibi Roma triumphis.

Idem Romanis exprobrat Tertullianus Apolog. cap. VI, dum ait: „Circa ipſos Deos veſtros quæ proſpecte decreverāt Patres „veſtri, iidem vos obſeqventiſſimi reſcidiſtis. Liberum Pa„trem cum myſteriis Cōſules Senatus autoritate non mo„do urbe, ſed univerſa Italia eliminaverunt: Serapidem, & „Iſidem, & Harpocratem cum ſuo Cynocephalo, Capito„lio prohibitos inferri, id eſt, curia Deorum pulſos, Piſo & „Gabinus Conſules, non utiq; Chriſtiani, everſis etiam

aris

„aris eorum, abdicaverunt, turpium & otioſarum ſu-
„perſtitionum vitia cohibentes. His vos reſtitutis ſum-
„mam majeſtatem contuliſtis. Similiter Arnobius li-
„bro II: Quid? vos Ægyptiaca numina, quibus Serapis at-
„que Iſis eſt nomen, non poſt Piſonem & Gabinum Con-
„ſules in numerum veſtrorum retuliſtis Deorum? quid?
„Phrygiam matrem, cujus eſſe conditor judicatur vel Mi-
„das, vel Dardanus, non, cum Hannibal Pœnus res Italas ra-
„peret, & terrarum expoſceret principatum, & noſſe & ſci-
„re cœpiſtis, & memorabili religione ſancire? ſacra Cere-
„ris matris, non quod vobis incognita eſſent, adſcita pau-
„lo ante, obtentum eſt ut Græca dicatur, novitatem ipſam
„teſtificante cognomine? non doctorum in literis conti-
„netur, Apollinis nomen Pompiliana indigitamenta ne-
„ſcire? Ex quo apparet, & liquidum eſt, & hunc vobis fu-
„iſſe incognitum, poſt autem aliqvando cœpiſſe eſſe & no-
„tum. Sed & Prudentius eleganter, ut ſolet, hæc exprimit
libro I adverſus Symmachum, verſ. 180. ſeqq. ubi ita canit:

Hac Italos induxit avos vel fama vel error,
Martia Romuleo celebrarent ut ſacra campo;
utq; Palatinis Capitolia condita ſaxis
ſignarent titulo proavi Jovis, atq; Pelasga
Palladis, & Libica Junonem ex arce vocarent.
Cognatos de Marte Deos, Veneris quoq; nudum
accirent Proceres Erycino vertice ſignum.
Utq; Deûm mater Phrygia veheretur ab Ida,
Bacchica de viridi peterentur ut orgia Naxo.
Facta eſt terrigenæ domus unica majeſtatis:
& tot templa Deûm Roma, quot in orbe ſepulchra
heroum numerare licet; quos fabula manes
nobilitat, noſter populus veneratus adorat.

Porro Cæcilius etiam Minucii de Romanis, *Undique*, ait, *hoſpites Deos quærunt, & ſuos faciunt: aras extruunt etiam ignotis Numinibus & Manibus.* Dixerat jam ſupra, cum alia imperia, provinciæ, oppida, Deos colant municipes, ut Eleuſini Cererem, Phryges Matrem, Epidaurii Æſculapium, Chaldæi Belum, Aſtarten Syri, Dianam Taurii, Galli Mercurium, Romanos *univerſa* Numina venerari. Quod mox paulo aliter exprimens, *Univerſarum*, inquit, *gentium ſacra ſuſceperunt.* Perinde ut Firmicus de iis loquitur lib. IV Aſtron. cap. XIII: *Omnes religiones ſuſcepere*; & Leo M. ſerm. I in Natali Apoſtolorum: *Omnium gentium* Romana urbs *ſerviebat erroribus*; item: *nullam reſpuebat falſitatem.* Unde etiam Arnobio, libro VI, Roma audit *Numinum cunctorum cultrix*; (uti Aldhelmo, de laude Virginitatis, *fallacis idololatriæ cultrix*) & *Divûm domus*, Auſonio, Martiali, Rutilio, Claudiano, obſervante Barthio Adverſar. lib. XLIIX, cap. IV. nec immerito eam dicere poſſis δεισιδαιμονίας ἐπιτομὴν, qua ῥήσει oppido eleganti Tatianus utitur adverſus Græcos.

Numina victa.

VI. Ut autem rectius hæc intelligantur, obſerva, ſolitos fuiſſe Romanos, quotquot provincias, urbes, populos, debellabant, eorum omnium ſuſcipere Deos. Quam in rem Auguſtinus de Conſenſu Evangeliſtarum lib. I, cap. XII, *Solebant*, inquit, *Romani Deos gentium, quos ſubjugaverant, colendos propitiare, & eorum ſacra ſuſcipere.* Arnobius lib. III: *Cincius Numina peregrina novitate ex ipſa appellata pronunciat. Nam ſolere Romanos religiones urbium ſuperatarum, partim privatim per familias ſpargere, partim publice conſecrare: ac, ne aliquis Deorum multitudine aut ignorantia præteriretur, brevitatis & compendii cauſa uno pariter*

nomine

nomine cunctos Novenſiles invocari. Autor commentarii in Epiſtolam ad Romanos, qui ſub Hieronymi nomine ſolet extare: *Omni mundo mirum fuit, Romanos crediſſe, qui idolorum nimia fuerant cultura poſſeſſi, ita ut etiam omnium gentium Diis, quas vicerant, deſervirent.* Sic quoque Cæcilius, apud Minutium, de Romanis memorat, quod *Numina victa venerentur*, quodque colant Deos *poſt clades detriumphatos.* Ubi quos ipſe *Numina victa* appellat & Deos *detriumphatos*, Tertullianus Apolog. cap. x, *Deos* vocat *captivos*, & Prudentius lib. II contra Symmachum, *captiva Numina.* Tertulliani verba ſunt: *Nec ego per ſingulos* Deos *decurram, tot ac tantos: novitios, veteres, barbaros, Græcos, Romanos, peregrinos,* CAPTIVOS, *adoptivos, proprios, communes; maſculos, feminas; ruſticos, urbanos, nauticos, militares.* Prudentius, ubi dixerat, Romanos olim paucos admodum Deos fuiſſe veneratos, ſubjicit, verſ. 346.

Innumeros poſt deinde Deos, virtute ſubactis
urbibus, ex claris peperit ſibi Roma triumphis.
Inter fumantes templorum armata ruinas
dextera victoris ſimulacra hoſtilia cepit,
& CAPTIVA domum, venerans ceu Numina, vexit.
Hoc ſignum rapuit bimaris de ſtrage Corinthi:
illud ab incenſis in prædam ſumpſit Athenis:
Quaſdam victa dedit capitis Cleopatra canini
effigies; quaſdam, domitis Hammonis harenis,
Syrtica cornutas facies habuere tropæa.
Roma triumphantis quotiens Ducis inclita currum
plauſibus excepit, totiens altaria Divûm
addidit, & ſpoliis ſibimet nova Numina fecit.

VII. Quo vero ritu nova illa Numina fecerint Romani *Evocatio Deorum Roma.*

nis uſitata.

mani (ut & illud heic obiter notemus) id ex Verrio Flacco refert Plinius lib. XXIIX Natur. Hiſtor. cap. II. *Verrius*, inquit, *Flaccus autores ponit, quibus credat, in oppugnationibus ante omnia ſolitum a Romanis Sacerdotibus evocari Deum, cujus in tutela id oppidum eſſet, promittiq; illi eundem aut ampliorem locum apud Romanos cultumve.* Et exhibet evocationis hujuſmodi formulam Macrobius, Saturnal. lib. III, cap. IX, quæ talis: SI. DEUS. SI. DEA. EST. CUI. POPOLUS. CIVITAS. QVE. KARTHAGINENSIS. EST. IN. TUTELA. TE. QVE. MAXIME. ILLE. QVI. URBIS. HUJUS. POPOLI. QVE. TUTELAM. RECEPISTI. PRECOR. VENEROR. QVE. VENIAM. QVE. A. VOBIS. PETO. UT. VOS. POPOLUM. CIVITATEM. QVE. KARTHAGINENSEM. DESERATIS. LOCA. TEMPLA. SACRA. URBEM. QVE. EORUM. RELINQUATIS. ABS. QVE. HIS. ABEATIS. EI. QVE. POPOLO. CIVITATI. QVE. METUM. FORMIDINEM. OBLIVIONEM. INJICIATIS. PRODITI. QVE. ROMAM. AD. ME. MEOS. QVE. VENIATIS. NOSTRA. QVE. VOBIS. LOCA. TEMPLA. SACRA. URBIS. ACCEPTIOR. PROBATIOR. QVE. SIT. MIHI. QVE. POPOLO. QVE. ROMANO. MILITIBUS. QVE. MEIS. PRÆPOSITI. SITIS. UT. SCIAMUS. INTELLIGAMUS. QVE. SI. ITA. FECERITIS. VOVEO. VOBIS. TEMPLA. LUDOS. QVE. FACTURUM. Sed & evocationis iſtius exemplum annotat Livius libro V, cap. XXI, Dictatorem, urbem Vejos deleturum, ad hunc modum loquentem introducens: *Te, Juno Regina, quæ nunc Vejos colis, precor, ut nos victores in noſtram, tuamq; mox futuram urbem ſequare: ubi Te dignum amplitudine tua templum accipiat.*

Cur Romani, omnium gentium Numina recipien-

IIX. Sic igitur cum omnium gentium Numina Romani reciperent, in uno vero Judæorum & Chriſtianorum DEO reſpuendo perpetua fuit eorum obſtinatio.

De

De quo diſputans Auguſtinus libro I de Conſenſu Evangeliſtarum cap. XIIX, cauſam fuiſſe putat hanc, quod audirent, Deum iſtum impatientem eſſe conſortis, neq; cum aliis coli poſſe. Verba ejus: *Cur eum ſolum* (verum Deum, cœli terræq; conditorem) *ſibi nec advocandum, nec propitiandum eſſe duxerunt? Quis eſt Deus iſte, vel ita ignotus, ut in tam multis Diis ſolus adhuc non inveniatur; aut ita notus, ut a tam multis hominibus jam ſolus colatur? Nihil ergo reſtat, ut dicant, cur hujus DEI ſacra recipere noluerint, niſi quia ſolum ſe coli voluerit, illos autem Deos gentium, quos iſti jam colebant, coli prohibuerit.* Et mox: *Iſtis ſumma neceſſitas facta eſt non colendi Deum Hebræorum. Quia, ſi alio modo eum colere vellent, quam ſe colendum ipſe dixiſſet, non utiq; illum colerent, ſed quod ipſi finxiſſent: ſi autem illo modo vellent, quo ipſe diceret, alios ſibi colendos non eſſe cernebant, quos ille coli prohibebat. Ac per hoc reſpuerunt unius veri DEI cultum, ne multos falſos offenderent; magis arbitrantes ſibi obfuturam fuiſſe iſtorum iracundiam, quam illius benevolentiam profuturam.* *tes, ſolum Chriſtianorum Deum rejecerint.*

IX. Et tantum etiam de criminatione, qua novitas religionis opprobrio vertebatur Chriſtianis. Ubi tamen, antequam plane hoc caput concludatur, non poſſumus non colophonis loco adjicere, quæ libro II adverſus Gentes habet Arnobius, de hac ipſa materia diſputans. Nempe ubi dixerat: *Religionis auctoritas non eſt tempore æſtimanda, ſed Numine: nec colere qua die, ſed quid, cœperis, convenit intueri*; poſtea accurate diſtinguit inter religionem ipſam, & notitiam quam quis de ea habet: veram religionem antiquiſſimam eſſe contendens, quamvis ſerius ea innotuerit ethnicis. Sed dabimus ipſa antiqui & eruditi ſcriptoris verba. *Niſi moleſtum eſt*, ſcribit, *dicite, o-*

L *mni-*

omnipotens & primus DEUS novella vobis videtur res eſſe, &, qui eum venerantes colunt, inauditas, incognitas, repentinas agitare atq; inducere religiones? Eſtne illo antiquius quicquam? aut, quod eum præcedat re, tempore, nomine, poteſt aliquid inveniri? Nonne ſolus ingenitus, immortalis, & perpetuus ſolus eſt? Quis caput & fons rerum eſt? non ipſe? cui debet æternitas hoc ipſum, quod nuncupatur æternitas? non ipſi? Infinita ut prodeant ſecula, non ex ejus perpetuitate perficitur? Indubitabile iſtud & verum. Non ergo quod ſequimur novum eſt, ſed nos ſero addidicimus, quidnam ſequi oporteat & colere, aut ubinam convenire, & ſpem ſalutis affigere, & ſalutaria ſubſidia collocare. Nondum enim affulſerat, qui viam monſtraret errantibus, & caligine in altiſſima conſtitutis cognitionis lumen immitteret, & ignorationis diſcuteret cæcitatem. Lege etiam, ſi placet, quæ in hanc rem Theophilus Antiochenus diſputat libro III ad Autolycum.

CAPUT X.

DE CHRISTIANÆ FIDEI INCERTITUDINE ET VANITATE EX MENTE PAGANORUM.

Religio Chriſtiana gentilibus præſumptio *dicta, atque Chriſtiani* Præſumptores.

PORRO ridebant quoque ethnici religionem Chriſtianam ut meram præſumptionem, vanamque, ineptam, dementem & execrabilem ſuperſtitionem. Ita Tertullianus Apolog. cap. XLIX: *Hæc ſunt, quæ in nobis ſolis PRÆSUMPTIONES vocantur, in Philoſophis & Poetis ſummæ ſcientiæ & inſignia ingenia.* & mox: *Falſa nunc ſint quæ*

quæ tuemur, & merito præſumptiones; attamen neceſſaria: inepta, attamen utilia. Idem libro de Teſtimonio animæ cap. IV: *Ea opinio Chriſtiana* (de ſtatu animæ poſt mortem carnisq; reſurrectione) *etſi honeſtior multo Pythagorica, quæ te non in beſtias transfert; etſi plenior Platonica, quæ tibi etiam dotem corporis reddit; etſi Epicurea gratior, quæ te ab interitu defendit: tamen propter ſuum nomen ſoli vanitati, & ſtupori, &, ut dicitur, præſumptioni deputatur.* Iterum: *Forſitan de ſenſu poſt exceſſum tui certior es, quam de reſurrectione quandoque, cujus nos* PRÆSUMPTORES *denotamur.* Refer etiam huc, quibus Chriſtianam deſcribit feminam Apulejus Metamorph. libro IX: *Spretis atque calcatis divinis Numinibus, in vicem certæ religionis mentita ſacrilega* PRÆSUMPTIONE *Dei, quem prædicaret unicum, confictis obſervationibus vacuis, fallens omnes homines, & miſerum maritum decipiens.*

II. Ulterius apud Minutium Cæcilianus, de Chriſtianis loquens, *Eorum*, inquit, *vana & demens ſuperſtitio ſceleribus gloriatur.* & in agone S. Marcelli quærit Laodicus: *Depoſuiſtis vanas ſuperſtitiones, & adoratis Deos quos Imperatores adorant?* Similiter in edicto Maximini, apud Euſebium libro IX, cap. VII, fides in CHRISTUM appellatur ὑπέρκενος ματαιότης, *vaniſſima vanitas*, item, *execranda vanitas, vana ſtultitia, cæcus error, pernicioſus error, exitioſa corruptio.* & Theophilus Antiochenus Autolycum, libro ad eum II, ſic alloquitur: οἶδας καὶ μέμνησαι, ὅτι ὑπέλαβες μωρίαν εἶναι τὸν λόγον ἡμῶν. & libro III: μωρίαν εἶναι τὸν λόγον ἡμῶν φασίν. Nec aliter Lactantius, libro VII, cap. XXVII: *Hæc eſt doctrina ſanctorum Prophetarum, quam Chriſtiani ſequimur: hæc noſtra ſapientia: quam illi, qui vel fragilia colunt, vel inanem Philoſophiam tuentur, tanquam ſtultitiam vanitatemque derident.*

dent. Caſp. Barthius, Adverſar. lib. II, cap. XII, quod Pagani aperto vocabulo Chriſtianum dogma *ſtultitiam* vocaverint, etiam ex his Rutilii, de Judæis, (quæ libro I Itinerarii ipſius leguntur) probat:

Reddimus obſcœna convitia debita genti,
quæ genitale caput propudioſa metit.
Radix ſtultitiæ: cui frigida ſabbatha cordi,
ſed cor frigidius relligione ſua eſt.

Nempe *radicem ſtultitiæ* heic notare dicit radicem Chriſtianiſmi, quod a Judæis ceu radice nos excreverimus. Et ſane eodem illo libro autor, loquens de Monachorum Chriſtianorum ſeceſſu,

Quænam, ait, *perverſi rabies tam ſtulta cerebri,*
dum mala formides, nec bona poſſe pati?

Eandem inſuper *anilem ſuperſtitionem* vocat, quem modo citabamus, Cæcilius; imo & Philoſophaſter ille (de quo infra cap. XIV, 2.) apud Lactantium libro V, cap. II: ubi etiam paulo ante habes, capite I, (æque ut apud Minutium) *aniles fabulas*, & *muliebrem ſuperſtitionem*, cap. XIII: quemadmodum *anile dogma* apud Prudentium, hymno X, de Fructuoſo, γυναικῶν εὑρέματα γραϊδίων, καὶ παίγνια, *mulierum vetularum inventa & ludicra*, apud Lucianum (vel quisquis autor) in Philopatri, *pueriles ineptias*, apud Arnobium libro II, *puerilia deliramenta*, apud Plinium lib. VII Nat. Hiſt. cap. LV, καταγέλαστα, *ridicula*, apud Origenem libro III contra Celſum, *ſtultas nugas*, in hiſtoria Barlaami cap. XXIII. Nec aliter Tacitus & Suetonius. Quorum illi religio noſtra eſt *exitiabilis ſuperſtitio*, XV Annalium; huic *ſuperſtitio malefica*, loco ſupra notato. Sed & Plinius Junior, libro X, epiſtola XCVII, ad Trajanum ſcribit, cum de Chriſtianiſmi arcanis etiam adhibitis tor-

mentis

mentis quæreret, nihil ſe inveniſſe aliud, quam *ſuperſtitionem pravam* (*pravam religionem* vocat Cæcilius apud Minutium) *& immodicam*. Adde, quod Julianus apud Cyrillum Alexandrinum, libro II eorum qui apoſtatæ huic oppoſiti, credere ſe profitetur, ὅτι τῶν Γαλιλαίων ἡ σκευωρία πλάσμα ἐστὶν ἀνθρώπων, ὑπὸ κακουργίας συντεθέν, ἔχουσα μὲν οὐδὲν θεῖον, ἀποχρησαμένη δὲ τῷ φιλομύθῳ καὶ παιδαριώδει καὶ ἀνοήτῳ τῆς ψυχῆς μορίῳ τὴν τερατολογίαν εἰς πίστιν ἤγαγεν ἀληθείας, *quod ſecta Galilæorum* (ita Chriſtianos appellat, quemadmodum eosdem τῶν Γαλιλαίων τοὺς παῖδας vocat apud Theodoretum lib. III, cap. VII. vide quoque eundem lib. II, cap. XXI, nec non Ruffinum lib. I, cap. XXXV, Sozomenum lib. V, cap. IV, Lucianum in Philopatri,) *humanum ſit commentum, malitioſe confictum: quæ nihil divini habeat; ſed fabulis addicta, puerili ſtolidaque animi parte abuſa, prodigioſas narrationes in veritatis teſtimonium adduxerit*. Nec prætermittendus impius ille ſubſannator Lucianus, qui, in Peregrino ſuo, religionem noſtram vocat τὴν θαυμαστὴν σοφίαν τῶν Χριστιανῶν, *mirificam illam Chriſtianorum ſapientiam*. Usque adeo ſcilicet verum illud Apoſtoli, 1 Cor. I, 23. *Nos prædicamus* CHRISTUM *crucifixum, Judæis quidem offendiculum, Græcis autem* STULTITIAM.

III. Optime vero & heic Arnobius libro I, Paganos compellans: „Quid, o participes rationis audetis „homines proloqui? quid effutire, quid promere temerariæ vocis deſperatione tentatis? DEUM principem „rerum cunctarum quæcunque ſunt dominum, ſummitatem omnium ſummorum obtinentem, adorare, obſequio venerabili invocare, in rebus feſſis totis, ut ita „dixerim, ſenſibus amplexari, amare, ſuſpicere, execrabi-

„lis religio eſt & infauſta, impietatis & ſacrilegii plena,
„cerimonias antiquitus inſtitutas novitatis ſuæ ſuperſti-
„tione contaminans? Hoccine eſt, quæſo, audax illud fa-
„cinus & immane, propter quod maxime Cœlites acu-
„leos in nos intendunt irarum atque indignationum ſu-
„arum? propter quod vos ipſi, cum libido inceſſerit ſæ-
„va, exuitis nos bonis, exterminatis patriis ſedibus, irro-
„gatis ſupplicia capitalia, torquetis, dilaceratis, exuritis,
„& ad extremum nos feris & beluarum laniatibus obje-
„ctatis?

CAPUT XI.

DE CREDULITATE CHRISTIANIS VITIO DATA.

Quemadmodum, ceu jamjam patuit, ipſam religionem Chriſtianam vanitatis & ſtultitiæ poſtulabant impii: ita ſervos CHRISTI eo nomine exagitabant, quod, nimis creduli, abſurda iſtiuſmodi ac ridicula perſuaderi ſibi paterentur. Teſtatur id Theodoretus, procemio librorum adverſus Græcos, *Sæpenumero accidit*, ſcribens, *ut nonnulli eorum, qui ſuſpenſi Græcorum gentilium fabulas admirantur, mecum familiarius congreſſi, Chriſtianam fidem noſtram deriderent, aſſerentes, nihil nos aliud quam meram credulitatem inſinuare illis, quos divinis rebus imbuendos accipimus*; item libro 1, ubi ait: *Audivi vos hoc uſurpantes, quod dogmatum noſtrorum nullam demonſtrationem proferamus, ſolam vero fidem ac credulitatem inſinuemus illis*

quos

quos [illegible] Similiter Arnobius libro II: *Ridere noſtram fidem conſueſtis, atq; ipſam credulitatem facetiis jocularibus lancinare.* & paulo poſt: *Cum comperti nihil habeatis & cogniti, omniaq; illa, quæ ſcribitis, & librorum comprehenditis millibus, credulitate aſſeveretis duce, quænam hæc eſt judicatio tam injuſta, ut noſtram derideatis fidem, quam vos habere conſpicitis noſtra incredulitate communem?* Sic impius ille Celſus, apud Origenem, libro I eorum quos calumniatori huic oppoſuit, Chriſtianis objicit, quod *aſſentiantur temere, & ſine ratione ſint creduli,* quodq; rationem fidei nec reddere velint, nec recipere; ſed in ore ſubinde habeant ſuum illud: *μὴ ἐξέταζε, ἀλλὰ πίστευσον, Ne inquire, ſed crede.* Confer quoque librum VI. Et Julianum Apoſtatam Gregorius Nazianzenus, oratione I contra ipſum, ſic introducit Chriſtianos alloquentem: *οὐδὲν ὑπὲρ τὸ, πίστευσον, τῆς ὑμετέρας ἐστὶ σοφίας, Nihil quidquam ultra illud, CREDE, vos ſapitis.* Eleganter autem Nazianzenus Juliano, Chriſtianorum πίστευσον objicienti, reponit Pythagoræorum αὐτὸς ἔφα, Atqui hoc, inquiens, „ut opinor, non irriſerint qui apud vos Pythagoræ Philo„ſophiam ſectantur; quibus illud αὐτὸς ἔφα, *ipſe dixit,* „dogmatum omnium primum eſt & maximum, aure„isq; (imo plumbeis) carminibus præſtabilius. Etenim „poſt primam illam, atque apud eos, qui illius placitis ini„tiabantur, celebratiſſimam ſilentii Philoſophiam, (ut „ſermonis moderationem tacendo condiſcerent) ſolen„ne & uſitatum erat, de quocunq; dogmate interroga„rentur, rationemq; poſcerentur, nihil aliud pronuncia„re ac reſpondere, quam quod Pythagoræ ita viſum eſ„ſet; rationemq; dogmatis eſſe, id, quod illi in mentem

venis-

„ veniſſet, ab omni examine [illegible]
„ mune. Ita, licet in aliis ſyllabis & verbis, eodem tamen
„ ſignificationis recidit illud αὐτὸς ἔφα, quo noſtrum hoc
„ πίστευσον; quamlibet id ſugillare atq; inſectari non deſi-
natis. Eadem legas apud Theodoretum, loco ſupra
„ indicato; qui ſubjungit: Si ſatis eſſe illi (Pythagoræi)
„ opinabantur ad faciendam fidem, tum qui dicebant,
„ tum & qui audiebant, quod ea eſſent Pythagoræ dog-
„ mata & inſtituta; quis erit adeo ſtolidus, vel potius at-
„ tonitus, ut, DEO univerſorum docente, dubitet, nec fi-
„ dem dictis habeat, neq; tantum reverentiæ univerſo-
„ rum DEO tribuat, quantum Pythagoræ tribuebant qui
„ ejus diſciplinæ ſe addixerant? Sed & Arnobius, ci-
tato loco, in eandem ſententiam ita ſcribit: Vos Plato-
„ ni, vos Cronio, vos Numenio, vel cui libuerit, credirit;
„ nos credimus & acquieſcimus CHRISTO. Iniquitas
„ hæc quanta eſt, ut, cum utriq; auctoribus ſtemus, ſitq;
„ nobis & vobis unum & ſocium, credere, vobis velitis
„ dari, quod ita ab illis dicatur, accipere, vos ea quæ pro-
„ feruntur a CHRISTO, audire & ſpectare nolitis? Atqui
„ ſi cauſas cauſis, partes partibus voluerimus æquare, ma-
„ gis nos valemus oſtendere, quid in CHRISTO fueri-
„ mus ſecuti, quam in Philoſophis quid vos. Ita Arno-
bius, pluribus illa mox perſequens. Confer, qui eandem
agunt cauſam, præter jam laudatos Origenem ac Theo-
doretum, Euſebium de Præparatione Evangelica libro I,
cap. III, ſeqq. & adde Auguſtinum libro de Utilitate cre-
dendi cap. IX, ſeqq. Repete item, ad hæc illuſtranda, quæ
monuimus ſuperiori capite IX, 3.

II. Ceterum quæ fuerint præcipue dogmata, adeo
ridi-

ridicula Paganis & abſurda viſa, ut ſtulte credulos putarent quotquot aſſenſum iis largirentur, docent hæc Arnobii lib. II: *Audetis ridere nos, quod Patrem rerum ac* DEUM *veneramur & colimus, quodque illi dedamus & permittamus ſpes noſtras? —— audetis ridere nos, quod mortuorum dicamus reſurrectionem futuram? — — audetis ridere nos, quod animarum noſtrarum provideamus ſaluti? —— audetis ridere nos, cum gehennas dicimus & inextinguibiles quoſdam ignes, in quos animas dejici ab earum hoſtibus inimicisque cognovimus?* docet Cyrillus Ieroſolymitanus in Procatecheſi, quando indicat Paganos, ſi incidiſſent in hominem qui baptizandus eſſet, irriſiſſe, & dixiſſe: *Ingredere aquam, ut ſubmergaris. Numquid enim adhuc civitas balnea non habet?* docet porro dialogus, ſub *Philopatris* titulo inter Lucianeos extans, qui & ipſe *ſacrilegis* hujusmodi *facetiis & feſtivis contumeliis* (ita vocat Auguſtinus epiſt. XLIV) abundat. Nimirum ubi dixerat Triephon, eſſe jurandum per ὑψιμέδοντα Θεὸν, μέγαν, ἄμβροτον, οὐρανίωνα, υἱὸν πατρὸς, πνεῦμα ἐκ πατρὸς ἐκπορευόμενον, ἓν ἐκ τριῶν, καὶ ἐξ ἑνὸς τρία, *DEUM in alto regnantem, magnum, immortalem, cœleſtem, Filium Patris, Spiritum ex Patre procedentem, unum ex tribus, & ex uno tria*; ad Trinitatis videlicet myſterium Chriſtianis creditum ſpectans; ὁ σκώπτης Critias, *Numerare me doces*, inquit, *& jusjurandum* tibi eſt *Arithmetica. Etenim numeras perinde ut Nicomachus ille Geraſenus. Neque enim intelligo quid dicas. Unum tria, tria unum.* Μὴ τὴν τετρακτὺν φῄς τὴν Πυθαγόρου, ἢ τὴν ὀγδοάδα, καὶ τριακάδα; Ad quæ, plus quam ironice, Triephon: σίγα τὰ σιγῆς ἄξια, *Tace, quæ ſilentio digna. Non licet hoc pacto metiri pulicum veſtigia. Ego enim docebo te, τί τὸ πᾶν, καὶ τίς ὁ πρὸ πάντων, καὶ τί τὸ σύστημα τοῦ παντός.*

Nam & mihi nuper idem uſu veniebat quod tibi. Didici autem iſta arcana, *quando me Galilæus ille* (Paulus Apoſtolus) *convenit, recalvaſter, naſatus* (*ἐπίῤῥινος*) *qui in tertium uſque cœlum per aërem ingreſſus, & optima quæque hinc edoctus, per aquam nos renovavit, in beatorum veſtigia inſiſtere fecit, & ex impiorum regionibus nos redemit. Ac te faciam, ſi me audieris, ἐπ' ἀληθείας ἄνθρωπον, vere hominem.* Poſthac ridet hiſtoriam creationis a Moſe (quem, reſpiciens haud dubie ad Exod. IV, 10. *βραδύγλωσσον* appellat) deſcriptam, ridet, quam Chriſtiani credimus, Dei providentiam, ridet quæ de præmiis juſtorum injuſtorumque pœnis, de ſupremo judicio, aliisque fidei noſtræ capitibus divinæ docent literæ. Nec aliter in toto ſuo opere, quod Scripturæ ſacræ oppoſitum, a Cyrillo autem Alexandrino refutatum eſt, procedit blaſphemus ille apoſtata Julianus. Sed & in eandem ſententiam declamans Cæcilius apud Minutium, Chriſtiani, ait, quænam monſtra, quæ portenta confingunt! DEUM illum ſuum, quem nec oſtendere poſſunt, nec videre, in omnium mores, actus omnium, verba denique & occultas cogitationes diligenter inquirere; diſcurrentem ſcilicet, atque ubique præſentem. Moleſtum illum volunt, inquietum, impudenter etiam curioſum: ſiquidem adſtat factis omnibus, locis omnibus inerrat: cum nec ſingulis inſervire poſſit per univerſa diſtrictus, nec univerſis ſufficere in ſingulis occupatus. Quid? quod toti orbi, ipſi mundo cum ſideribus ſuis, minantur incendium, ruinam moliuntur. Quaſi aut naturæ divinis legibus conſtitutus æternus ordo turbetur, aut, rupto elementorum omnium fœdere, & cœleſti compage diviſa, moles iſta, qua con-

Vid. cap. 9. n. 4.

Tit. 3. 5.

„ continetur & cingitur, ſubruatur. Nec hac furioſa opi-
„ nione contenti, aniles fabulas adſtruunt & annectunt.
„ Renaſci ſe ferunt poſt mortem, & cineres & favillas; &
„ neſcio qua fiducia mendaciis ſuis invicem credunt. Pu-
„ tes eos jam revixiſſe. Anceps malum, & gemina
„ dementia, Cœlo & aſtris, quæ ſic relinquimus ut inve-
„ nimus, interitum denunciare, ſibi mortuis, extinctis,
„ qui, ſicut naſcimur, & interimus, æternitatem repro-
„ mittere. Inde videlicet & execrantur rogos, & damnant
„ ignium ſepulturas. Quaſi non omne corpus, etſi flam-
„ mis ſubtrahatur, annis tamen & ætatibus in terram re-
„ ſolvatur; nec interſit, utrum feræ diripiant, an maria
„ conſumant; an humus contegat, an flamma ſubducat:
„ cum cadaveribus omnis ſepultura, ſi ſentiunt, pœna
„ ſit, ſi non ſentiunt, ipſa conficiendi celeritate medici-
„ na. Hoc errore decepti, beatam ſibi, ut bonis, & perpe-
„ tem vitam mortuis pollicentur, ceteris, ut injuſtis, pœ-
„ nam ſempiternam. —— Omnia iſta figmenta male ſa-
„ næ opinionis, & inepta ſolatia, a Poetis fallacibus in
„ dulcedine carminis luſa, a vobis nimium credulis in
„ DEUM veſtrum turpiter reformata ſunt.

III. Ubi vides, præ cæteris contumelioſe exagitari ab homine infideli reſurrectionem, quam Chriſtiani credimus, mortuorum; idq; more Paganis ſolenni. Etenim, ut recte ſcribit, in Pſ. LXXXIIX, Auguſtinus, *in nulla re tam vehementer, tam pertinaciter, tam obnixe & contentioſe contradicitur fidei Chriſtianæ, ſicut de carnis reſurrectione. Nam & de animi immortalitate multi etiam Philoſophi gentium multa diſputaverunt, & immortalem eſſe animum humanum pluribus & multiplicibus libris conſcriptum reliquerunt. Quum*

 ventum

ventum fuerit ad reſurrectionem carnis, non titubant; ſed apertiſſime contradicunt: & contradictio eorum talis eſt, ut dicant, fieri non poſſe, ut caro iſta terrena poſſit in cœlum aſcendere. Atq; hinc ſcommata illa facetiæq; joculares, quibus ob fidem iſtam CHRISTI ſervos lancinabant idololatræ. Ut merito ſcribat Origenes libro I contra Celſum: τὸ περὶ τῆς ἀναστάσεως μυστήριον θρυλλεῖται γελώμενον ὑπὸ τῶν ἀπίστων. Ita cum Paulum de mortuorum reſurrectione concionantem audirent Athenienſes, ἐχλεύαζον, *ſannis eum excipiebant*, Act. XVII, 32. & Plinius, libro VII Natur. Hiſtoriæ, cap. LV, *Quæ (malum!) iſta dementia eſt*, inquit, *iterari vitam morte?* Similiter Lucianus in Peregrino, de Chriſtianis loquens, πεπείκασι αὑτοὺς, ait, οἱ κακοδαίμονες, τὸ μὲν ὅλον ἀθάνατοι ἔσεσθαι, καὶ βιώσεσθαι τὸν ἀεὶ χρόνον, παρ' ὃ καὶ καταφρονοῦσι τοῦ θανάτου, καὶ ἑκόντες αὑτοὺς ἐπιδιδόασιν οἱ πολλοί. *Perſuaſerunt ſibi inſani, ſe omnino immortales futuros eſſe perpetuoq; victuros. Quamobrem & mortem magno contemnunt animo, & multi ſua ſe ſponte occidendos offerunt.* Sed &, in Hiſtoria Barlaami cap. XXIV, impius ille Indorum Rex Abanner filium ſuum Joſaphat ad CHRISTI fidem converſum his increpat verbis: *Crucifixo te junxiſti, inanibus videlicet ipſius cultorum promiſſis deceptus, qui nova quædam ſecula fingunt, mortuorumq; corporum reſurrectionem nugantur, & alia ſexcenta, ut ſtolidis hominibus fucum faciant, introducunt.* Adde, quæ in Itinerario ſuo Moſcovio-Perſico, libro IV, cap. IV, noſter annotavit Olearius. Es wohnete/ ſcribit, zu Caſan in meines Wirthes Hauſe ein Ceremiſſe (Ceremiſſi Tartari ſunt ad Wolgam habitantes) ein Mann von 45. Jahren. Dieſer/ als er hörete/ daß ich mit dem Wirthe der Religion halber redete/ und unter andern auch der Aufferſtehung der Todten gedachte/

dachte/

dachte / fieng an zu lachen / ſchlug mit den Händen von ſich / ſagend: Wer einmahl ſtirbt / bleibt vor dem Teuffel wol todt. Die Verſtorbene werden wiederkommen gleich meine Pferd und Kühe / ſo vor etlichen Jahren geſtorben. Atq; hinc factum, ut in primitiva Eccleſia, quando paſſim Chriſtianis negotium faceſſebant Pagani, præcipua opera Patrum Doctorumq; fuerit, ut oſtenderent, poſſe divinitus carnem reſuſcitari & immortalitate donari, nec eſſe, quare hanc doctrinam tanquam abſonam vel abſurdam quiſquam repudiet; quum multa quoq; ſint, tam in rerum natura, quam apud ipſos gentilium ſcriptores, quæ eam probabilem reddant, & ad credendum invitent. Videantur Juſtinus Martyr in Apologia ad Antoninum Pium, Athenagoras in Apologia, Theophilus Antiochenus libro I ad Autolycum, Tatianus libro contra Gentes, Irenæus libro V cap. IV, ſeqq. Tertullianus libro peculiari de Reſurrectione Carnis (quem ab illuſtri hac ſententia orditur: *Fiducia Chriſtianorum, reſurrectio mortuorum!*) Minutius Felix in Octavio, Zeno Veronenſis ſermone de Reſurrectione, Arnobius libro II contra Gentes, Cyrillus Ieroſolymitanus Catecheſi XIIX, Gregorius Nyſſenus oratione III de Reſurrectione, & libro περὶ κατασκευῆς ἀνθρώπου cap. XXV, ſeqq. Ambroſius oratione de fide reſurrectionis, Ruffinus Expoſitione in ſymbolum, Chryſoſtomus aliquot de Reſurrectione ſermonibus, Auguſtinus libro de Civitate DEI ultimo, cap. XII, ſeqq. Æneas Gazæus in Theophraſto, Damaſcenus ſub finem operis de orthodoxa fide.

IV. Sic igitur patuit, quo nomine tantæ fatuitatis Chriſtianos inſimulaverint idolorum cultores. Eoſdem tamen in civilibus etiam ſimplices nimium credulosque

Paganis fuiſſe habitos, docent illa Luciani in Peregrino: ἢν τοίνυν παρέλθῃ εἰς αὐτοὺς γόης καὶ τεχνίτης ἄνθρωπος, καὶ πράγμασι χρῆσθαι δυνάμενος, αὐτίκα μάλα πλούσιος ἐν βραχεῖ ἐγένετο, ἰδιώταις ἀνθρώποις ἐγχανὼν, *Si quis præſtigiator, aut alioqui homo promptus & verſutus, & rei faciendæ appoſitus, eos acceſſerit, brevi admodum opulentus efficitur, quippe qui hominum idiotarum ſimplicitate callide queat abuti.* Indicat quoq; id Minutianus ille Cæcilius, dum aperte ait, CHRISTI cultoribus non tantum denegatum eſſe diſſerere divina; ſed & ne quidem eſſe *datum intelligere civilia.*

Catholici Valentinianis ſimplices dicti.

v. Obiter ad hæc obſerva, etiam a Valentinianis hæreticis SIMPLICES olim appellatos fuiſſe Chriſtianos Catholicos. Teſtis luculentus eſt Tertullianus, qui libro adverſus Valentinianos cap. II, *Simplices*, inquit, *notamur apud illos, ut hoc tantum, non etiam ſapientes.* Subjungit autem illico: „ Quaſi ſtatim deficere cogatur a „ ſimplicitate ſapientia; Domino utramque jungente:

Matth. 10, 16

„ *Eſtote prudentes ut ſerpentes, & ſimplices ut columbæ.* „ Aut ſi nos propterea inſipientes, quia ſimplices, num „ ergo & illi propterea non ſimplices, quia ſapientes? Nocentiſſimi autem qui non ſimplices, ſicut ſtultiſſimi qui „ non ſapientes. Et tamen malim in eam partem meliori ſumi vitio, ſi forte præſtat minus ſapere quam pejus, errare quam fallere. Porro facies Dei exſpectat

Cap. 1, 1.

„ in ſimplicitate quærentes, ut docet ipſa Sophia, non „ quidem Valentini, ſed Salomonis. Deinde infantes teſtimonium Chriſti ſanguine litaverunt. Pueros vocem, qui crucem clamant? nec pueri erant, nec infantes, id eſt, ſimplices non erant. Repueraſcere nos &

1. Cor. 14, 20

„ Apoſtolus jubet ſecundum Deum, ut malitia infantes per ſimplicitatem, ita demum ſapientes ſenſibus ſimus

„ mus, Divinæ ſapientiæ ordinem de ſimplicitate aman-
„ do. In ſumma, CHRISTUM columba demonſtrare ſo-
„ lita eſt, ſerpens vero tentare. Illa & a primordio Divi-
„ næ pacis præco: ille a primordio Divinæ imaginis præ-
„ do. Ita facilius ſimplicitas ſola DEUM & agnoſcere po-
„ terit & oſtendere, prudentia ſola concutere potius &
„ prodere.

CAPUT XII.

DE STUPIDITATE ET ΑΠΑΙΔΕΥΣΙΑ FIDELIBUS OBJECTA.

CUm criminatione præcedenti cohæret, quod ſtupiditatem ruditatemque CHRISTI ſervis objecerunt idololatræ. *Nos hebetes, ſtolidi, fatui, obtuſi pronunciamur & bruti*, ſcribit Arnobius libro I; & libro II, *Ita*, inquit, *non injuſtiſſimum ducitis, inequitare, illudere, tanquam ſtulta nobis & bruta dicentibus?* & deinde: *Quid eſt, quod a vobis tanquam bruti & ſtolidi judicemur?* —— *Quænam injuſtitia tanta eſt, ut fatui vobis credulitate in iſta videamur? — ſtultitiæ crimen quibus rationibus ſuſtinemus?* Iterum: *Stulte* (ex Paganorum mente) *credimus, ineptiſſime, fatue.* item libro III: *Hoccine eſt illud faſtidium veſtrum, ſapientia hac arrogans, qua deſpuitis nos ut rudes, atque omnem ſcientiam remini rerum vobis divinarum patere?* Similiter Tertullianus Apologet. cap. XLIX: *Illi* (gentiles) *prudentes, nos inepti: illi honorandi, nos irridendi*; Lactantius libro IV, cap. XIII, (cum quo confer lib. V, cap. II) *Vulgo pro ſtultis, & vanis & ineptis habemur.* Ita Hieronymus, epiſt. VII, de Lætæ, Chriſtianæ mulieris, patre ethnico, loquens, *Deſpuat licet*, ait, *& irrideat epiſtolam meam, & me*

vel

vel ſtultum vel inſanum clamitet. Hoc & gener ejus faciebat antequam crederet. Pari ratione Cæcilio, apud Minutium Felicem, Chriſtiani ſunt homines *indocti, impoliti, rudes, agreſtes: quibus,* inquit, *non eſt datum intelligere civilia, multo magis denegatum eſt diſſerere divina.* Iidem impio illi irriſori Luciano, in vita Peregrini, audiunt ἰδιῶται ἄνθρωποι; quemadmodum & apud Iſidorum Peluſiotam, lib. IV, epiſt. XXVII, Paganis dicuntur ἰδιῶται ἄνδρες; apud Origenem, libro VII contra Celſum, οἱ ἐπὶ ἰδιωτίᾳ ἐξουθενούμενοι, καὶ μωροὶ, καὶ ἀνδράποδα; ac *ruſticæ ſimplicitatis* arguuntur apud Hieronymum, proœmio catalogi Scriptorum eccleſiaſticorum. Sed & Julianus, apud Nazianzenum Invectiva I, ἀλογίαν καὶ ἀγροικίαν illis tribuit, eosq; apud Cyrillum, libro VII contra ipſum, δυστυχεῖς καὶ ἀνοήτους, *miſeros ac inſanos* nuncupat.

11. Quid? quod data opera Chriſtianos cavere fingebant infideles, ne quenquam temere, niſi imperitos ejusmodi & ſtolidos, ad ſe invitarent, aut in ſocietatem ſuam admitterent. Diſerte enim Celſus, apud Origenem libro VI, fidelibus objicit, quod vitent τοὺς χαριεστέρους, *elegantiores,* illaqueent autem τοὺς ἀγροικοτέρους, *ruſticiores*; idemque ibidem libro III, Chriſtianos introducit ad hunc modum loquentes: μηδεὶς σοφὸς, μηδεὶς φρόνιμος (κακὰ γὰρ ταῦτα νομίζεται παρ' ἡμῖν) ἀλλ' εἴ τις ἀμαθὴς, εἴ τις ἀνόητος, εἴ τις νήπιος, θαῤῥῶν ἡκέτω, *Nemo accedat eruditus, nemo ſapiens, nemo prudens, (hæc enim mala apud nos exiſtimantur) ſed ſi quis eſt indoctus, inſipiens, infans, fidenter veniat. Hos enim,* ſubjungit obtrectator, *Deo ſuo dignos verbis iſtis confeſſi, aperte declarant,* ὅτι μόνους τοὺς ἠλιθίους, καὶ ἀγεννεῖς, καὶ ἀναισθήτους, καὶ ἀνδράποδα, καὶ γύναια, καὶ παιδάρια, πείθειν ἐθέλου-

σιν

σιπ καὶ δύνανται, quod ſolos ſtolidos, & ignobiles, & ſenſu carentes, & mancipia, & mulierculas, & puerulos, inducere velint ac poſſint. Similiter Cæcilius, apud Minutium Felicem, CHRISTI cultoribus exprobrat, quod *de ultima fece collectis imperitioribus & mulieribus credulis, ſexus ſui facilitate labentibus, plebem profanæ conjurationis inſtituant;* ac Julianus, apud Cyrillum libro VI, de CHRISTO ipſo & Apoſtolis loquens, *Satis habebant*, ait, *ſi ancillas aut ſervos deciperent, & per hos uxores & viros: quales Cornelius & Sergius.* *Act. 10. & 13.* *Quorum unus ſi illuſtres inter viros ejus ætatis laudatus appareat, (atqui Tiberii vel Claudii temporibus hæc fuerunt) de omnibus mentiri me putatote.* Hinc ethnicus ille Præfectus Aſclepiades, apud Prudentium, *περὶ ςεφάνων* hymno XIV, 38. Romanum, martyrii candidatum, ita compellat:

Tu ventilator urbis, & vulgi levis
procella, mentes inquietas mobiles,
ne ſe imperita turba dedat legibus;

&, apud eundem hymno X, 37. ad Fructuoſum Judex Æmilianus,

Tu, qui Doctor, ait, ſeris novellum
commenti genus: ut leves puellæ
lucos deſtituant, Jovem relinquant.

Eodem quoque ſpectat Lactantius libro V Divin. Inſtitut. cap. XIII & XIX.

III. Imo non contentus impius ille Celſus effutiiſſe, quas paulo ante memorabamus, calumnias, proceſſum inſuper, quem in alliciendis ſeducendisque pueris & mulierculis Eccleſiæ Chriſtianæ Doctores obſervent, quæque iis inſtillent dogmata, mendaciſſime deſcribit libro ſupra laudato III Origenis. Ubi enim dixerat: Cernimus,

„ nimius, circumforaneos iſtos circulatores oſtentare illa
„ vulgo jactatiſſima, non apud cœtus hominum prudenti-
„ um; quod id nequaquam audeant; ſed ubicunq; anim-
„ adverterint adoleſcentum, mediaſtinorum, & fatuo-
„ rum turbam, eo ſe ingerere, ibiq; ſe venditare; pergit
„ mox: Videre licet, lanifices, ſutores, fullones, in ſuis æ-
„ dibus, & illiteratiſſimum quemq; ac ruſticiſſimum, co-
„ ram ſenioribus & prudentioribus patribus familias ni-
„ hil audere proloqui: ubi vero ſeorſum nacti fuerint pu-
„ eros eorum & mulierculas imperitas, mira quædam diſ-
„ ſerere: non eſſe audiendos parentes ac Præceptores;
„ ſed ſibi credendum: quod illi delirent & mente capti
„ ſint, & nihil vere bonum vel ſciant vel poſſint facere,
„ præoccupati nugis inanibus; ipſi vero ſoli rationem vi-
„ vendi norint exactiſſime: & pueros beatos fore ſi ſe
„ audiant, atque adeo propter eos totam familiam. Quod
„ ſi interim videant accedentem aliquem e Præceptori-
„ bus prudentioribus, aut ipſum patrem, tum hos, ſi ti-
„ midiores fuerint, perterreri; ſin ferociores, autores
„ fieri pueris, ut habenas excutiant; obmurmurando,
„ quod in præſentia Patris Præceptorumve nec velint nec
„ poſſint quicquam boni proloqui, metu illorum ſtulti-
„ tiæ ſævitiæq; modis omnibus corruptorum & devolu-
„ torum ad fundum malitiæ, & monitores punientium:
„ ſed, ſi quid diſcere velint, debere eos, relicto patre &
„ Præceptoribus, ire cum mulierculis & colluſoribus
„ pueris in conclave mulierum, aut officinam ſutoriam
„ fulloniamve, ut perfectionem adipiſcantur præceptis
„ obſequendo.

IV. Denique idem ſycophanta, operis Origeniani
libro

libro I, illud CHRISTI ſervis, tanquam vulgo apud ipſos jactatum, tribuit: *κακὸν μὲν γε ἡ ἐν τῷ βίῳ σοφία, ἀγαθὸν δὲ ἡ μωρία*, *Mala res in vita eſt ſapientia, bona vero ſtultitia.* Quam calumniam Origenes ait eſſe enatam ex malitioſa depravatione iſtius Paulini: *εἴ τις δοκεῖ σοφὸς εἶναι ἐν ὑμῖν ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ, μωρὸς γενέσθω, ἵνα γένηται σοφός. ἡ γὰρ σοφία τοῦ κόσμου τούτου μωρία παρὰ τῷ Θεῷ ἐστι, Si quis ſibi videtur eſſe ſapiens inter vos in hoc ſeculo, ſtultus fiat, ut fiat ſapiens. Sapientia enim mundi huius ſtultitia eſt apud* DEUM. Paganos namque ita hæc pervertiſſe, ac ſi ſapientiam abſolute & ſimpliciter iis verbis ex Eccleſia proſcripſerit Apoſtolus: cum tamen ille *non ſimpliciter dicat, ſapientiam eſſe apud* DEUM *ſtultitiam; ſed ſapientiam* HUJUS MUNDI; *ac rurſum, non: ſi quis videtur eſſe ſapiens inter vos,* SIMPLICITER *ſtultus fiat; ſed:* IN HOC SECULO *fiat ſtultus, ut evadat in ſapientem.* Hæc ibi Origenes: quæ ex parte repetit libro VI. 1. Cor. III. 19

V. Sed & reliquis ſupra recenſitis obtrectationibus occurrens Adamantius, libro III, *Quæ ratio movit Celſum,* inquit, *ut nos criminetur quaſi dicere ſolitos:* Nemo doctus accedat, nemo ſapiens, nemo prudens? *Imo accedat vel doctus, vel ſapiens, vel prudens, quicunque vult. Sed nihilominus accedat etiam indoctus, & inſipiens, & rudis, & infans. Nam talibus, ſi acceſſerint, medicinam pollicetur verbum* DEI, *omnes reddens* DEO *idoneos. Falſum autem eſt & illud, ſolos fatuos, ignavos, inſenſatos, mancipia, mulierculas, pueros, captari a verbi divini prædicatoribus. Vocat quidem etiam hos prædicatio, ut meliores reddat; ſed vocat etiam multo his præſtantiores: quoniam Salvator eſt omnium hominum* CHRISTUS. —— *Τὸ μὲν οὖν ἀληθῶς πεπαιδεῦσθαι οὐ κακὸν, ὁδὸς γὰρ ἐπ' ἀρετήν ἐστιν ἡ παίδευσις, Eſt igitur res non mala eruditio vera,*

 quip-

quippe quæ ad virtutem via. Ad hunc modum Origenes: qui etiam libro VI, Eccleſiam viris ſapientibus variaq; eruditione conſpicuis nunquam fuiſſe deſtitutam, multis in medium allatis exemplis oſtendit. Quomodo item Arnobius, libro II, gentilibus objicit, quod *tam magnis ingeniis præditi Oratores, Grammatici, Rhetores, Conſulti Juris, ac Medici, Philoſophiæ etiam ſecreta rimantes, magiſteria* Chriſtianorum *expetant, ſpretis quibus paulo ante fidebant*; & Hieronymus, procœmio libri de Viris Illuſtribus, enumeratus mox tot ſcriptores eccleſiaſticos, eruditione non minus quam pietate excellentes, *Diſcant*, ait, *Celſus, Porphyrius, Julianus, rabidi adverſus* CHRISTUM *canes, diſcant eorum ſectatores, qui putant, Eccleſiam nullos Philoſophos & eloquentes, nullos habuiſſe Doctores; quanti & quales viri eam fundaverint, extruxerint, & ornaverint: & deſinant fidem noſtram ruſticæ tantum ſimplicitatis arguere, ſuamq; potius imperitiam agnoſcant.*

VI. Chryſoſtomus, explicans verba Pauli, I. Cor. I, 17. οὐκ ἐν σοφίᾳ λόγου, ἵνα μὴ κενωθῇ ὁ σταυρὸς τοῦ Χριστοῦ, homilia III in hanc Epiſtolam; totus in eo eſt, ut oſtendat, ſi quando ruditas & ἀπαιδευσία Apoſtolis objiciatur a gentilibus, non debere Chriſtianos id ægre ferre; ſed potius, quod jure hæc de iis dicantur, confirmare. Tantum enim abeſſe, ut ad ipſorum hoc faciat dedecus, ut potius gloriæ eorundem non parum inde accedat. *Ipſa*, inquit, *accuſatio eſt encomium. Et quando dixerint* infideles, *agreſtes fuiſſe Apoſtolos; nos addamus, & dicamus, quod fuerint ἀμαθεῖς, καὶ ἀγράμματοι, καὶ πένητες, καὶ εὐτελεῖς, καὶ ἀσύνετοι, καὶ ἀφανεῖς, imperiti, & illiterati, & pauperes vileſque, & abjecti, & inſipientes, & obſcuri. Non ſunt hæc in Apoſtolos maledicta; ſed*

eorum

eorum gloria: quod, cum eſſent hujuſmodi, toto orbe terrarum fuerint clariores. Iſti enim rudes, & agreſtes, & imperiti, expugnarunt ſapientes, & potentes, & tyrannos, quique ſe efferebant divitiis, & gloria, & omnibus externis; perinde ac ſi non eſſent viri. Ibidem diſplicuiſſe ſibi profitetur ſanctus Doctor, quod Chriſtianorum nonnemo adverſus hominem Paganum aſſeveraverit, Apoſtolum Paulum Platone doctiorem fuiſſe ac diſertiorem; ejusqve diſputandi modum omnino præpoſterum judicat. „Audivi, ait, quendam Chriſtianum cum Græco ridicule differentem, & „utrumque in ea, quæ inter ipſos extitit, concertatione, „ſua infirmantem ac convellentem. Quæ enim oportebat dicere Chriſtianum, ea dicebat Græcus: „quæ Græcum erat dicere conſentaneum, ea afferebat „Chriſtianus. Nam cum eſſet quæſtio de Paulo & Platone, Græcus quidem conabatur oſtendere, Paulum eſſe „rudem & imperitum; Chriſtianus autem, ob ſimplicitatem, ſtudebat probare, Paulum eſſe Platone doctiorem & diſertiorem. Ita autem Græcus eſſet victoriam „conſecutus, ſi hæc vinceret ratio. Nam ſi Platone doctior & eloquentior eſſet Paulus, conſentaneum eſſet, „multos contradicere; quod non gratiâ ſuperaſſet, ſed „eloqventiâ. Quamobrem faciebat pro Græco quod dicebatur a Chriſtiano: faciebat autem pro Chriſtiano quod „dicebatur a Græco. Nam ſi ſimperitus erat Paulus, vicit „autem Platonem, præclara fuit victoria. Acceptis enim „omnibus ejus diſcipulis perſuaſit, & eos ad ſe adduxit. „Unde fuit perſpicuum, quod non humana ſapientia fuerit prædicatio, ſed DEI gratia. In eandem ſententiam „Origenes libro III contra Celſum, Opinor, ſcribit, Jeſum ideo voluiſſe uti talibus dogmatum ſuorum docto-

,,ribus, ne quem locum haberet ſuſpicio, quaſi artibus
,,eſſent inſtructi Sophiſticis: ſed evidenter intelligi poſ-
,,ſet, nihil fuci latuiſſe in animo tanta (ut ita dicam) ſim-
,,plicitate ſcribentium, ac proinde dignorum, quibus
,,ſcribentibus adeſſet divinus Spiritus, multo efficacior
,,quam ſint iſtæ Græcorum artes, dicendi copia, elocutio-
,,nis ornamenta, diviſionis diſpoſitioniſque artificium,
,,& hujuſmodi cetera. ac libro I ait: Mihi ſane videtur,
,,ſi aliquos opinione vulgi ſapientes, idoneoſque ſapere
,,ac loqui ad multitudinis gratiam, elegiſſet Jesus, quo-
,,rum in docendo uteretur opera, non evaſurum fuiſſe
,,juſtam ſuſpicionem, quaſi, more Philoſophorum, no-
,,vam aliquam ſectam ſuo nomine vellet inſtituere, ne-
,,que promiſſum de divinitate doctrinæ repræſentaturum
,,eſſe: quaſi ſermo Dei & prædicatio ejus eſſet in perſua-
,,ſione locutionis, & erudita elegantique ſtructura dicti-
,,onum; & fides, ad morem illius quam de ſuis dogmatis
,,habent Philoſophi ſeculi, eſſet in ſapientia hominum,
,,non in Dei virtute. Nunc vero, quis videns piſcatores
,,& publicanos, ac ne prima quidem literarum rudimen-
,,ta ſcientes, ut Evangeliſtæ ſcribunt de illis, & ipſe Celſus
,,hac parte libenter credit de eorum imperitia, confi-
,,denter non ſolum Judæos alloqui de fide in Jesum, ſed
,,& inter reliquas gentes eandem efficaciter prædicare;
,,non quæreret, unde nacti ſint tantam perſuadendi vim?
non enim erat vulgaris. Gemina habet Theodoretus, libro IIX & IX contra Græcos, ac Juſtinus in Paræneſi ad Græcos, qui, inter alia, οὐκ ἐν λόγοις, inquit, ἀλλ' ἐν ἔργοις τὰ τῆς ἡμετέρας θεοσεβείας πράγματα. Arnobius autem libro I contra Gentes, cur Dominus non niſi idiotarum ejuſmo-

di

di imperitorumque hominum uti voluerit miniſterio, cauſam redditurus, factum id ait, *ne qua ſubeſſet ſuſpicio, Magicis ſe artibus munera illa beneficiaq;*, per Apoſtolos mortalibus oblata, *largitum*. Vide infra cap. XV. Quanquam vero ad plantationem conſervationemque Eccleſiæ viros eruditos fuiſſe neceſſarios neget Chryſoſtomus, illos tamen non minus quam idiotas in eandem admitti, ſemperque admiſſos eſſe (ſecus atque ſupra cavillabatur Celſus) agnoſcit. Verba ſunt: *Qui eruditis non opus habuit ab initio; ſi poſtea accepit diſertos, non fecit tanquam indigens, ſed tanquam non diſcernens, nec ullam ponens differentiam. Quomodo enim non egebat Sophiſtis ad ea recte gerenda quæ volebat: ita nec poſtea inventos propterea expulit.* Quæ quidem rurſum iis, quæ ſupra, num. V, ex Origene dabamus, ex aſſe reſpondent.

CAPUT XIII.

DE BARBARO SIMPLICIQ; CHRISTIANORUM STYLO.

EOusque proceſſit olim ethnicorum cavillandi libido, ut nec illud relinquere potuerint intactum, quod Chriſtianorum ſcripta quædam non ſatis puro elegantique ſermone fuerint concinnata; quin ob hocipſum, ne fidem iis haberent, perſuadere mortalibus anniſi ſint. Sic Arnobius lib. I, *Barbariſmis, ſolœciſmis, obſita ſunt, inquit* Paganus, *res veſtra, & vitiorum deformitate polluta.* Paulo ante de Chriſtianorum monumentis hæc

e gentilium ore protulerat: *Ab indoctis hominibus & rudibus ſcripta ſunt, & idcirco non ſunt facili auditione credenda.* Plane uti Lactantius libro v Div. Inſtitut. cap. I: *Non credunt* ethnici *illis, qui* divina *interpretantur, quia ſunt ipſi aut omnino rudes, aut certe parum docti.* Sane ipſas ſacras literas ob ſtyli ſimplicitatem Paganos ſpreviſſe, idem Lactantius eodem loco docet. Verba ejus ſunt: *Hæc inprimis cauſa eſt, cur apud ſapientes, & doctos, & principes hujus ſeculi, Scriptura ſancta fide careat, quod Prophetæ communi ac ſimplici ſermone, ut ad populum, ſunt locuti. Contemnuntur itaq; ab iis, qui nihil audire vel legere niſi expolitum ac diſertum volunt; nec quicquam inhærere animis eorum poteſt, niſi quod aures blandiori ſono permulcet. Illa vero quæ ſordida videntur, anilia, inepta, vulgaria exiſtimantur. Adeo nihil verum putant, niſi quod auditu ſuave eſt; nihil credibile, niſi quod poteſt incutere voluptatem. Nemo rem veritate ponderat, ſed ornatu. Non credunt ergo divinis, quia fuco carent.* Sic lib. VI, cap. XXI, iſipſe autor: *Aſſueti dulcibus & politis, ſive orationibus, ſive carminibus, divinarum literarum ſimplicem communemque ſermonem pro ſordido aſpernantur. Id enim quærunt quod ſenſum demulceat,* item in Epitome cap. III: *Scriptis cœleſtibus, quia videntur incompta, non facile creditur: quia aut ipſi ſunt diſerti, aut diſerta legere volunt; nec quærunt vera, ſed dulcia: imo illis videntur hæc veriſſima eſſe quæ auribus blandiuntur. Ita reſpuunt veritatem, dum ſermonis varietate capiuntur.* Firmat hæc inſuper Origenes adverſus Celſum lib. VI, *Celſus,* inquiens, *aliique criminantur Scripturarum in eloquendo ſimplicitatem; quam ad ſe collatam ſplendor cultioris orationis obſcurare videtur.* Idem libro III memorat, impium illum ſycophantam riſiſſe Scripturæ divinæ ἰδιωτικοὺς λόγους. Similiter

Iſido-

Iſidorus Peluſiota, libro IV, epiſt. XXIIX, *Contemnunt*, ait, *divinam Scripturam* ὡς βαρβαρόφωνον, καὶ ὀνοματοποιΐαις ξέναις συντετυγμένην. Confer epiſt. XXVII, XXX, CCV. Sed & Theodoretus, præfatus in libros, quos Græcis oppoſuit, *Sæpenumero accidit*, ſcribit, *ut nonnulli eorum, qui ſuſpenſi Græcorum gentilium fabulas admirantur, mecum familiarius congreſſi, Apoſtolos inſcitiæ accuſarent, barbaros nuncupantes*, τὸ γλαφυρὸν τῆς εὐεπείας οὐκ ἔχοντας, *quod omni careant elocutionis ornatu*, & libro I: *Nonnulli eorum, qui in Poetarum & Oratorum ſcriptis verſati ſunt, Platonisq; adeo elegantiam deguſtarunt, divinas literas contemnunt, ut quæ calamiſtris eloquentiæ comptæ non ſint, & indignum exiſtimant a piſcatoribus veritatē primam edoceri: —— ignominiam exiſtimant, ſi quis ſermone barbarus eos ad veritatem erudiat*. ac rurſum: *Cur, amici homines, Apoſtolicæ doctrinæ ſententias diſcere aſpernamini, ſolam vero dicendi barbariem* (τὸ βαρβαρόφωνον) *accuſatis?* libro IX: *Vos quidem, o viri, elegantes comptosq; ſermones audire cupitis, atq; his quam maxime permulceri quæritis: ubi vero tales non inveneritis, riſu effuſo inceſſitis, auresq; obſtruitis, & quæ dicuntur audire non vultis*. Adde Juſtinum Martyrem Apologia quæ priori loco in editionibus ponitur, Tatianum contra Græcos, Pſeudo-Clementem Recognit. lib. I.

II. Recte vero heic Origenes, ſub initium libri VI adverſus Celſum: Cum veritatis profeſſoribus propoſitum ſit prodeſſe quamplurimis mortalium, & pro humanitatis officio quemcunq; attrahere, ſive cordatum, ſive inſenſatum; nec ſolum Græcos aut manſuetos barbaros, ſed quosvis e feris populis convertere; dubio procul opus ad hoc forma dicendi communi, quæ quo-

„ rumvis auribus ſe accommodet. & mox: Prophetæ no-
„ ſtri, & ipſe JESUS, ejuſque Apoſtoli, attenti fuerunt
„ potiſſimum ad orationis modum, non ſolum veraciſſi-
„ mum, ſed etiam ad attrahendam multitudinem ma-
„ xime commodum: ut ſinguli tandem converſi & attra-
„ cti pro virili percipiant arcana ſub ſermonis ſimplicitate
latentia. Eadem legas apud Theodoretum, ſub exor-
„ dium libri IIX contra Græcos. Divinæ literæ, ait ille,
„ contemnendæ non ſunt, quod ſuperfluo ſermonis ap-
„ paratu non utantur, ſed nudam & emicantem veritatis
„ pulchritudinem nobis proponant. Pronum ſiquidem
„ fuit & faciliſſimum ſapientiæ fonti, qui impiis quoque
„ hominibus eloquentiam dedit, & Platone facundiores,
„ & acriores Demoſthene, & graviores Thucydide, & A-
„ riſtotele aut Chryſippo cudendis inſolubilibus ſyllogiſ-
„ mis acutiores reddere veritatis præcones. Ceterum no-
„ luit ille quinq; ſolum, decemve aut quindecim, cen-
„ tumve aut ducentos homines aquis ſalutaribꝰ recreari,
„ ſed gentes univerſas, tum Græcos, tum barbaros; &
„ literarum ſtudiis innutritos, & ſutores, & textores, &
„ fabros ferrarios, & ceteros manuales artifices, & cum
„ his ſervos etiam, & mendicos, & agricolas, & lignato-
„ res, feminas quoq;, tum divitiis affluentes, tum labori
„ addictas, manuumq; opere victitantes: eamq; ob rem
„ piſcatorum, publicanorumq; ac ſutoris miniſterio u-
„ ſus, ſalutarem divinamq; doctrinam hominibus protu-
„ lit, linguis, quas ab initio ſortiti fuerant, haudquaquam
„ immutatis, ſed per eaſdem ſapientiæ rivos effun-
„ dens. Non aliter, quam ſi quis vinum odoris saporiſ-
„ que ſuaviſſimi convivis apponens, phialis poculiſq; mi-

nus

„ nus eleganter exſculptis infundat. Qui enim ſitiunt,
„ largiter bibunt, non pocula conſiderantes, ſed vinum
„ admirantes. Idipſum homines omnes facere non ceſ-
„ ſant. Sacræ enim doctrinæ rivos cum hauriunt, non
„ modo Apoſtolorum linguas non irrident, ſed valde po-
„ tius admirantur, quod, eloquentiæ prorſus expertes,
„ alii a pueris piſcationem edocti, alii publicanorum men-
„ ſis aſſiſtere, alii ſutoriam exercere ſoliti, divinorum e-
„ loquiorum illico miniſtri, cœleſtiumq; bonorum di-
„ ſpenſatores prodierint, & ſalutiferi malorum depulſo-
„ res, claraq; luminaria, non unam modo gentem, ſed
„ quocunq; Sol hic, quem cernimus, radios fundit, illu-
ſtrantia. Ita Theodoretus; qui etiam jam ſupra, libro
v, ſcripſerat: *Omnis veritatis præcones, Prophetæ, inquam, & Apoſtoli, Græcæ quidem eloquentiæ* (ἑλληνικῆς εὐγλωττίας) *expertes fuerunt: quia tamen vera ſapientia abundarunt, cunctis & Græcis & barbaris nationibus divinam attulere doctrinam, terramq; univerſam & maria ſcriptis de virtute ac pietate libris impleverunt: cunctiq; nunc mortales, abdicatis Philoſophorum nugis, piſcatorum publicanorumq; diſciplinis fruuntur, & ſutoris* (τοῦ σκυτοτόμου: S. Paulum innuit, quem ſæpius in hoc contra Græcos opere ſic appellat) *volumina amplexantur.* & poſt quædam interjecta: *Nos iſtorum* (gentilium) *lugemus inſaniam: qui, cum videant homines barbari ſermonis* (βαρβαροφώνους) *Græcæ elocutionis facundiam* (ἑλληνικὴν εὐγλωττίαν) *ſuperaſſe, ſciteque ornatas fabulas penitus profligatas, piſcatorumque ſolœciſmis diſſolutos fuiſſe Atticos ſyllogiſmos, non erubeſcunt tamen, neque in latebras ſe conjiciunt; ſed impudenter pro mendacio & falſitate depugnant. Quamquam ita pauci ſunt, ut numerari facile poſſint, ac ne Græca quidem imbuti elo-*

quentia; ſed qui tot prope in barbariſmos incurrant, quot verba pronunciant, ſummam doctrinam loquendique nitorem arbitrantes, ſi jurantes dixerint; μὰ τὰς Θεὰς, καὶ μὰ τὸν ἥλιον, *non, per Deos! non, per Solem! & alia bujusmodi juramenta oratione ſua effinxerint.* Similiter Euſebius, libro III Hiſto-
„riæ Eccleſ. cap. XXIV, Divini, inquit, & ſancti viri, Apo-
„ſtoli videlicet CHRISTI, vitam excellenter mundam
„viventes, & animos habentes quovis virtutum genere
„ornatos, ſermone utebantur idiotarum, divina & mi-
„rifica virtute, quam a CHRISTO acceperant, freti: i-
„deoque diſciplinam Præceptoris ſolertia & arte verbo-
„rum adminiſtrare nec ſciebant nec conabantur: de-
„monſtratione vero divini Spiritus, quem cooperato-
„rem habebant, & ſola virtute CHRISTI, quæ miracu-
„la per ipſos perficiebat, uſi, ſcientiam regni cœlorum
„toti orbi annunciarunt, parum de conſcribendis com-
„mentariis ſoliciti. Adde Chryſoſtomum homil. I in Johannem, & homil. III de Lazaro.

III. Sed & illa huc refer, quæ habet Arnobius libro I: *Cum de rebus agitur ab oſtentatione ſubmotis, quid dicatur ſpectandum eſt, non, quali cum amœnitate dicatur: nec, quid aures commulceat, ſed quas afferat audientibus utilitates; maxime cum ſciamus, etiam quosdam ſapientiæ deditos non tantum abjeciſſe ſermonis cultum, verum etiam, cum poſſent ornatius atque uberius eloqui, trivialem ſtudio humilitatem ſecutos, ne corrumperent ſcilicet gravitatis rigorem, & ſophiſtica ſe potius oſtentatione jactarent.* Præmiſerat immediate, quæ ſubjicio: *Pompa iſta ſermonis, & oratio miſſa per regulas, concionibus, litibus, foro, judiciisque ſervetur, deturque illis imò, qui voluptatum delinimenta quærentes, omne ſuum ſtudium verborum in lumina* con-

contulerunt. Quibus exacte reſpondent illa Cypriani ad Donatum ep. II: *In judiciis, in concione, pro roſtris, opulenta facundia volubili ambitione jactetur; cum de Domino DEO vox eſt, vocis pura ſinceritas non eloquentia viribus nititur ad fidei argumenta, ſed rebus.* Nimirum *Deus hanc voluit rei eſſe naturam, ut ſimplex et nuda veritas eſſet luculentior, quia ſatis ornata per ſe eſt, ideoque ornamentis extrinſecus additis fucata corrumpitur; mendacium vero ſpecie placet aliena, quia, per ſe corruptum, vaneſcit ac defluit, niſi aliunde ornatur;* uti ſub initium libri III Divinarum Inſtitutionum ſcribit Lactantius. Atque hinc, monente ſub exordium operis ſui ad Autolycum Theophilo Antiocheno, *lingua quidem diſerta & dictio terſa delectationem & laudem afferunt, plurimumque conducunt miſeris mortalibus, quorum animus depravatus eſt ad vanam gloriam parandam:* ὁ δὲ τῆς ἀληθείας ἐραστὴς οὐ προσέχει λόγοις μεμιασμένοις, ἀλλὰ ἐξετάζει τὸ ἔργον τοῦ λόγου τί καὶ ὁποῖον ἐστὶν, *veritatis autem ſtudioſus non adjicit animum ſermonibus inquinatis; ſed ſedulo inquirit, quid & quale ſit quod dicitur.* Quo etiam pertinet illud Theodoreti, principio libri IIX contra Græcos: ὅσῳ ἡ παρὰ τῆς φύσεως ὥρα τῆς ὑπὸ κομμωτικῆς τέχνης διεσκευασμένης ἀμείνων, τοσούτῳ κρείττων τῆς τῶν λόγων εὐεπείας τε καὶ δεινότητος ἡ τῆς ἀληθείας εὐπρέπεια, *Quanto nativa pulchritudo potior eſt ea quam fucus artis adfinxit, tanto eſt melior ſimplex veritatis decor diſerta concinnaque oratione.*

IV. Huc reſpiciens magnus ille Eccleſiæ Doctor Auguſtinus, libro de catechizandis rudibus, cap. IX, monendos eſſe dicit, qui, e Paganis Grammaticorum Oratorumque ſcholis prodeuntes, inter Catechumenos nomen profiteantur, ne ſimplicem & incomptum Scripturæ ſacræ ſtylum, impurumque Eccleſiæ miniſtrorum ſermonem

monem contemnant ac irrideant. His, ait, qui loquen-
„ di arte ceteris hominibus excellere videntur, cum ve-
„ niunt ut Chriſtiani fiant, hoc amplius quam illiteratis
„ impartiri debemus, quod ſedulo monendi ſunt, ut hu-
„ militate induti Chriſtiana, diſcant non contemnere,
„ quos cognoverint morum vitia quam verborum am-
„ plius devitare; & cordi caſto linguam exercitatam nec
„ conferre audeant, quam etiam præferre conſueverant.
„ Maxime autem iſti docendi ſunt Scripturas audire di-
„ vinas, ne ſordeat eis ſolidum eloquium, quia non eſt
„ inflatum. & mox: His maxime utile eſt, noſſe, ita
„ eſſe præponendas verbis ſententias, ut præponitur a-
„ nimus corpori. Ex quo fit, ut ita malle debeant verio-
„ res quam diſertiores audire ſermones; ſicut malle de-
„ bent prudentiores quam formoſiores habere amicos.
„ Noverint etiam, non eſſe vocem ad aures DEI, niſi ani-
„ mi affectum. Ita enim non irridebunt, ſi aliquos An-
„ tiſtites & miniſtros Eccleſiæ forte animadverterint, vel
„ cum barbariſmis & ſolœciſmis Deum invocare, vel ea-
„ dem verba, quæ pronunciant, non intelligere, pertur-
„ bateque diſtinguere. Non quia iſta minime corrigen-
„ da ſunt, ut populus ad id, quod plane intelligit, dicat A-
„ men: ſed tamen pie toleranda ſunt ab eis, qui didice-
„ runt, ut ſono in foro, ſic voto in Eccleſia, benedici. Ita-
„ que forenſis illa nonnunquam forte bona dictio, nun-
„ quam tamen benedictio dici poteſt. Inculcat hæc tan-
to diligentius vir ſanctus, quod propria olim experien-
tia ipſum docuerat, quantopere, baptiſmo nondum tin-
ctum ob ſtyli ſimplicitatem res ſacras, præſertim divinas
literas, faſtidiant homines hujus ſeculi. Ita nimirum
ſcri-

ſcribit, ubi juventutem ſuam depingit, libro III Confeſ-
„ ſionum cap. V: Inſtitui animum intendere in Scriptu-
„ ras ſanctas, ut viderem quales eſſent: & ecce, video
„ rem non compertam ſuperbis, neque nudatam pueris,
„ ſed inceſſu humilem, ſucceſſu excelſam, & velatam
„ myſteriis: & non eram ego talis, ut intrare in eam poſ-
„ ſem, aut inclinare cervicem ad ejus greſſus. Non enim
„ ſicut modo loquor, ita ſenſi cum attendi ad illam Scri-
„ pturam, ſed viſa eſt mihi indigna, quam Tullianæ digni-
„ tati compararem. Tumor enim meus refugiebat mo-
„ dum ejus, & acies mea non penetrabat interiora ejus.
„ Veruntamen illa erat quæ creſceret cum parvulis: ſed
„ ego dedignabar eſſe parvulus, & turgidus faſtu, mihi
„ grandis videbar.

V. Obiter præterea notari heic poteſt diſcurſus Arnobii, quo contendit, ſermonem minus terſum & comptum ipſarum rerum cognitioni nihil prorſus officere. Ubi enim mentionem fecerat cavilli illius ethnici, Chriſtianorum ſcripta ſusq; deq; habenda eſſe, quod barbariſmis obſita ſint & ſolœciſmis; *Puerilis ſane*, inquit, *atque anguſti pectoris reprehenſio. Quam ſi admitteremus ut vera ſit, abjiciamus ex uſibus noſtris quorundam fructuum genera, quod cum ſpinis naſcuntur & purgamentis aliis, quæ nec alere nos poſſunt, nec tamen impediunt perfrui nos eo quod principaliter antecedit, & ſaluberrimum nobis voluit eſſe natura. Quid enim officit, o quæſo, aut quam præſtat intellectui tarditatem, utrumne quid grave, an hirſuta cum aſperitate promatur? inflectatur quod acui, an acuatur quod oportebat inflecti? aut qui minus id quod dicitur verum eſt, ſi in numero peccetur, aut caſu, prepoſitione, participio, conjunctione?* Erudite etiam paulo

poſt

poſt idem Arnobius diſputat, quod hoc vel illo modo verborum ſtructura in ſermone conformari debeat, id non ex naturali quadam ratione, ſed unice ex hominum „ arbitrio ac placitis pendere. Si verum ſpectes, inquit, „ nullus ſermo natura eſt integer, vitioſus ſimiliter „ nullus. Quænam eſt enim ratio naturalis, aut in mundi „ conſtitutionibus lex ſcripta, ut HIC PARIES dicatur & HÆC „ SELLA? cum neque ſexus habeant femininis generibus „ maſculiniſq; diſcretos, neq; quiſquam docere doctiſſi- „ mus me poſſit, ipſum HIC & HÆC quid ſint, aut cur ex his „ unum ſexũ virile deſignet, femininis generibus id quod „ ſequitur applicetur. Humana iſta ſunt placita, & ad u- „ ſum ſermonis faciendi non ſane omnibus neceſſaria. „ Nam & HÆC PARIES forſitan, & HIC SELLA, „ dici ſine ulla reprehenſione potuiſſent, ſi ab ini- „ tio ſic dici placuiſſet, & a ſequentibus ſeculis com- „ muni eſſet in ſermocinatione ſervatum. Hæc Arnobius, iis omnino gemina, quæ habet Auguſtinus lib. II de Doctrina Chriſtiana cap. XIII. *Utrum*, ait ille, *INTER HOMINES, an INTER HOMINIBUS, dicatur, ad rerum non pertinet cognitorem.* & mox: *Utrum IGNOSCERE producta tertia syllaba vel correpta dicatur, non multum curat, qui peccatis ſuis Deum ut ignoſcat petit: quolibet modo illud verbum ſonare potuerit.* Amplius: *Illud etiam, quod jam auferre non poſſumus de ore cantantium populorum:* Super i-

Pſ. cxxxi, 18. pſum autem *FLORIET* ſanctificatio mea; *nihil profecto ſententiæ detrahit*, inquit. *Iſta ergo*, concludit tandem, *facile etiam contemni poſſunt, ſi quis ea cavere noluerit, quæ ſano intellectui nihil detrahunt.*

VI. Tandem neque illud heic duximus prætermit-

tendum

tendum, quod, uti gentiles ſermonis ſtribliginem & verborum vitia objiciebant Chriſtianis, rudeſque eos ac barbaros pronunciabant: ſic hi viciſſim illos eloquentes, politos, ſapienteſque per irriſum dixerint. Ita Prudentius, in agone Romani, περὶ στεφάνων hymno XIV, 395.

Vos eruditos miror & doctos viros,
perpenſa vitæ quos gubernat regula,
neſcire vel divina, vel mortalia.

Arnobius libro IV contra Gentes: *Stupetis eloquentiæ viribus.* libro II: *O feſtivi, & meraco ſapientiæ tincti & ſaturi potu.* iterũ: *Sapientibus vos viris omnibusq; inſtructis diſciplinarum creditis? nempe qui nihil ſciſcunt, nec pronunciant unum.* & ſupra; Vos ſoli ſapientiæ conditi atq; intelligentiæ vi mera, neſcio quid aliud videtis & profundum? ſoli eſſe nugas intelligitis hæc omnia? ſoli verba & pueriles ineptias ea, quæ nobis promittimus principali ab Rege ventura? Unde, quæſo, eſt vobis tantum ſapientiæ traditum? unde acuminis & vivacitatis tantum? vel ex quibus ſcientiæ diſciplinis tantum potuiſtis haurire? Quia per Caſus & Tempora declinare Verba ſcitis & Nomina; quia voces barbaras ſolœciſmoſq; vitare; quia numeroſum & inſtructum compoſitumque ſermonem, aut ipſi vos noſtis efferre, aut, incomptus cum fuerit, ſcire; quia Fornicem Lucilianum, & Marſyam Pomponii obſignatum memoria continetis; quia, quæ ſint in litibus conſtitutiones, quot cauſarum genera, quot dictionum; quid ſit Genus, quid Species, Oppoſitum a Contrario quibus rationibus diſtinguatur; idcirco vos arbitramini ſcire, quid ſit falſum, quid verum; quid fieri poſſit aut non poſſit; quæ imorum ſummorumq; natura ſit? Refer inſuper huc, quod Cyrillo Alexandrino, in opere Juliano

Apoſtatæ oppoſito, impius ille Eccleſiæ hoſtis ironice dici ſolet ὁ πάνσοφος Ἰουλιανὸς, (quem alias, ſerio loquens, παρεκπαίοντα, *mente captum*, vocat, libro II) & Origeni eadem ratione Celſus Epicureus audit σοφιστὴς Κέλσος, libro I eorum qui contra ſycophantam iſtum ſunt ſcripti.

CAPUT XIV.

DE IMPOSTURA CHRISTIANIS AFFICTA.

QUemadmodum Phariſæi Salvatorem noſtrum appellant πλάνον, ſeu *præſtigiatorem*, aut *ſeductorem*, Matth. XXVII, 63. idemq; Pagano iſti convitiatori Luciano audit ἀνεσκολοπισμένος ἐκεῖνος σοφιστὴς, *crucifixus ille impoſtor*, in Peregrino; & communiter præterea ab infidelibus pro tali eſt habitus, teſte Euſebio, libro III Demonſtrat. Evangel. cap. II, III, IX. ad eundem modum convitium iſtud jaciebatur in ejus diſcipulos & ſectatores. Nempe juxta illud Domini, Matth. X, 24, 25. *Non eſt diſcipulus ſupra Magiſtrum, neq; ſervus ſupra Dominum ſuum. Sufficiat diſcipulo, ut fiat ſicut Magiſter ipſius, & ſervo, ut ſit ſicut Dominus ipſius. Si ipſum Patremfamilias Beelzebub vocarunt, quanto magis domeſticos ejus?* Sic impius apoſtata Julianus, apud Cyrillum libro III, magnum illum Apoſtolum fideliſſimumque CHRISTI ſervum Paulum blaſpheme vocat τὸν πάντας πανταχοῦ τοὺς πώποτε γόητας καὶ ἀπατεῶνας ὑπερβαλλόμενον Παῦλον, *omnes omnino unquam qui fuerunt præſtigiatores impoſtoresq; ſuperantem Paulum.* Quin ad cunctos CHRISTI nomen profeſſos iſtud tranſiiſſe

convitium, ex Origene conſtat; qui de Celſo Epicureo, libro VI eorum quos ipſi oppoſuit, ὁ δὲ, inquit, γόητας ἡμᾶς καλεῖ, καὶ φησὶν, ὅτι φεύγομεν τοὺς χαριεστέρους προτροπάδην, ὡς οὐχ ἑτοίμους ἀπατᾶσθαι, ἀλιευόμεθα δὲ τοὺς ἀγροικοτέρους, *Ille præſtigiatores nos vocat, & dicit, quod vitemus omnes elegantiores, quod hi non temere decipiantur, ruſticiores autem illaqueemus*; ac libro I de eodem calumniatore ſcribit, quod fideles comparet μητραγύρταις, *circulatoribus* horumq; ſimilibus. *Quemadmodum enim illius generis homines ſceleſti plerumq; illudentes ſimplici vulgo ducant eum quacunq; libet: ſic idem apud Chriſtianos ſolere fieri*; libro item III de ipſo teſtatur, quod CHRISTI ſervos vocet τοὺς ἐν ταῖς ἀγοραῖς τὰ ἐπιρρητότατα ἐπιδεικνυμένους καὶ ἀγείροντας, *circumforaneos ſandas infandasq; nugas garrientes: non apud cœtos hominum prudentium; quod id nequaquam audeant: ſed ubicunq; animadverterint adoleſcentulos, vernarumq; turbam, & fatuorum cœtum*, (μειράκια, καὶ οἰκοτρίβων ὄχλον, καὶ ἀνοήτων ἀνθρώπων ὅμιλον) *eo ſe ingerere*, ait, *ibique ſe oſtentare*. Ita blaſphemus ille Celſus: cum quibus confer, quæ leguntur in dialogo, Philopatris inſcripto, qui impio ſubſannatori Luciano vulgo tribuitur: adde item Hiſtoriam Barlaami, quæ Damaſceno tribui ſolet, cap. XXII; ubi Zardan, homo ethnicus, ſignificaturus Indorum Regi Abanner, quod filius ipſius Joſaphat a Barlaamo ad Chriſtianiſmum eſſet converſus, *Improbus quidam*, ait, *& præſtigiator, ad eum ingreſſus, de Chriſtianæ religionis doctrina ad eum verba fecit*; & mox Araches, itidem Paganus, Barlaamum juſſu Regis quærens, *Ubinam eſt*, inquit, *impoſtor ille, qui Regis filium in errorem induxit?* Quin paulo poſt, ſequenti capite XXIII, Rex ipſemet Chriſtianos eremitas ita compellat: *Vos, o peſtiferos homines,*

ac populi ſeductores, ſuppliciis afficio, quoniam omnes in fraudem impellitis. & mox: *Ne populus, impoſturam veſtram ſequens, deſertam terram relinquat, atque a patriis Diis deficiens, alienum adoret, ſuppliciis vos ac morte mulctare dignum eſſe judicavi.* rurſum capite xxiv, ad filium, *Stulta mente,* inquit, *ac puerili animo impoſtorum verbis fidem adhibuiſti.*

II. Sed & Hieronymus, quod Christi cultores vulgari convitio *impoſtores* a gentilibus appellati ſint, clare indicat, dum ait, epiſtola xix, ad Marcellam: *Si tunica non canduerit, ſtatim illud e trivio: Impoſtor & Græcus eſt;* & epiſt. x, ad Furiam: *Ubicunque viderint Chriſtianum, ſtatim illud de trivio: ὁ γραικὸς ἐπιθέτης.* Quæ ſancti Patris loca ut recte intelligantur, ſciendum, Romanorum habitum proprie fuiſſe togam, ſicut Græcorum pallium. Ita Suetonius in Auguſto, cap. XCIIX: *Inter varia munuſcula togas inſuper & pallia diſtribuit; lege propoſita, ut Romani Græco, Græci Romano habitu & ſermone uterentur.* Hinc Romani dicti ſunt *gens togata.* Quo de rurſum Suetonius, citato loco, cap. xl: *Habitum veſtitumque priſtinum reducere* Auguſtus *ſtuduit. Ac viſa quondam pro concione pullatorum turba, indignabundus & clamitans,* En, *ait,*

Romanos, rerum Dominos, gentemq; togatam.

Negotium ædilibus dedit, ne quem poſt hac paterentur in foro circove, niſi poſitis lacernis, togatum conſiſtere. Ad quæ verba Caſaubonus: *Reprehendit in aliis colorem veſtis, in aliis colorem & genus veſtis. Pullati dicuntur, & qui togam ſordidam & coloris obſoleti gerunt, & qui penulas, quæ pullo colore erant. Propria civium Romanorum veſtis forenſis toga fuit, eaque alba.* Contra Græci dicti ſunt *Palliati,* & *comœdia palliata,* quæ ſcriptæ ſunt ſecundum ritus & habitus Græcorum. Autores Donatus & Diomedes; Scholiaſtes item vetus ad Ju-

venalis Satyram 1, qui hæc habet: *Tria ſunt genera comœdiarum: togata, ex factis vilium perſonarum; prætextata, ex factis nobilium perſonarum; palliata, ex factis quidem nobilium perſonarum, ſed Græcarum. Palliata ad Græcos pertinent: alia duo genera ad Latinos pertinent. Romani enim togis & prætextis utuntur.* Quia proinde Græcorum pallio etiam veſtiebantur Chriſtiani (quanquam non omnium omnino, qui CHRISTO nomen dederant, ſed τοῖς ἀσκηταῖς tantum geſtamen id fuiſſe, ut nec omnium Græcorum, ſed ſolum Philoſophorum, oſtendat Salmaſius ad librum Tertulliani de Pallio) hinc communi ſcommate audiebant *Græci*, & ab injectione pallii, quod tunicæ ſuperimponebant, etiam ἐπιθέται, hoc eſt, (ut ita dixerim) *imponentes*. Id ſimpliciter accipiebat indoctum vulgus ob pallii ſuperimpoſitionem: ceterum literati figuratum morſum intelligebant in vocabulo ἐπιθέτης, quo fieret ad *impoſtoris* nomen apud Latinos tacita alluſio, hoc eſt, deceptoris & hominis ſanctitatem mentientis. Salmaſius putat, quia Chriſtiani, Philoſophi, viri, inquam, aſcetici, pari cum Græcis Philoſophis amictu fuerint uſi, male qvoqve propter illos audiviſſe, quod ex horum numero plerique Philoſophos habitu ementirentur & fingerent, cum de cetero pura puta mendicabula eſſent, & impoſtores meri. Quam in rem Quintilianus lib. 1, cap. 1: *Noſtris temporibus ſub hoc nomine maxima in plerisque vitia latuerunt. Non enim virtute ac ſtudiis, ut haberentur Philoſophi, laborabant, ſed vultum & triſtitiam, & diſſentientem a ceteris habitum, peſſimis moribus prætendebant.* Quæ confirmans, in ſua ad Græcos oratione, Tatianus, *Quid magnum*, inquit, *aut admirandum agunt Philoſophi veſtri? Incedunt enim altero ex humeris neglecto*

glecto, capillitium demittunt copioſum, barbam alunt, ungues ferinos gerunt, & , cum nihil ſe deſiderare dicant, indigent tamen, ſecundum Proteum, coriario propter peram, textore propter tunicam, lignario propter baculum, divitibus denique & coquo propter gulam. Cujusmodi ſane fuit (ut adhuc illud obiter adjiciamus) impius iſte Philoſophaſter, quem in Bithynia ſibi notum fuiſſe Lactantius lib. v Divin. Inſtitut. cap II memorat, vivisque coloribus depingit; Ego, inquiens, cum in Bithynia oratorias literas accitus docerem, contigiſſetque, ut eodem tempore Dei templum everteretur; duo extiterunt ibidem, qui jacenti atque abjectæ veritati, neſcio utrum ſuperbius, an importunius, inſultarent: quorum alter Antiſtitem ſe Philoſophiæ profitebatur; verum ita vitioſus, ut, continentiæ Magiſter, non minus avaritia quam libidinibus arderet: in victu tam ſumptuoſus, ut in ſchola virtutis aſſertor, parſimoniæ paupertatisque laudator, in palatio pejus cœnaret quam domi. Tamen vitia ſua capillis, & Pallio, & (quod maximum eſt velamentum) divitiis prætegebat: quas ut augeret, ad amicitias Judicum miro ambitu penetrabat, eosque ſibi repente autoritate falſi nominis obligabat; non modo, ut eorum ſententias venderet; verum etiam, ut confines ſuos, quos ſedibus agrisque pellebat, a ſuo repetendo hac potentia retardaret. Hic — ſuas diſputationes moribus deſtruebat, vel mores ſuos diſputationibus arguebat, ipſe adverſus ſe gravis cenſor, & accuſator acerrimus.

III. Denique cogita, num huc pertineat etiam, quod Ulpianus, l. 1 D. de extraordinariis cognitionibus, eos qui exorcizant, *impoſtores* appellat. Sane Ulpianum

iſtum

iſtum in Chriſtianos non ſatis æquo fuiſſe animo, vel ſolus ille Lactantii locus, qui lib. v Divinarum ejus Inſtitutionum cap. xi habetur, perſuadet: *Sceleratiſſimi homicidæ contra pios jura impia condiderunt. Nam & conſtitutiones ſacrilegæ, & diſputationes Juriſperitorum leguntur injuſtæ. Domitius de officio Proconſulis libris ſeptem* (libro ſeptimo, teſte Ant. Thyſio, legit antiquus codex) *reſcripta Principum nefaria collegit, ut doceret, quibus pœnis affici oporteret eos, qui ſe cultores DEI confiterentur.* Ubi abſque omni dubio loquitur Lactantius de Domitio Ulpiano, illo JCtorum (ſic enim dictus eſt) Coryphæo, qui de Officio Proconſulis libros decem ſcripſit, quorum multa in Pandectis ſuperſunt fragmenta: integri enim libri non extant. Itaque vero non videtur adeo difforme, Ulpianum, dum eos, qui *exorcizandi* verbo utuntur, *impoſtores* vocat, de priſcis Chriſtianis loqui; quos iſtud verbum identidem uſurpaſſe conſtat, quando de virtute, qua pollebant, ejiciendi dæmones loquebantur. Vide Juſtinum Martyrem, dialogo cum Tryphone Judæo, Tertullianum de Spectaculis cap. xxvi, de Idololatria cap. xi, de Corona militis cap. xi, de Anima cap. lvii, de Præſcriptionibus cap. xli, Cyprianum, epiſt. lxxvi, ad Magnum, (in Manutii editione eſt vi libri i) Cornelium Epiſcopum Romanum, in epiſtola, cujus partem exhibet Euſebius libro vi Hiſt. Eccl. cap. xliii.

Caput XV.

De Magia Christo Hujusque Cultoribus Objecta.

Specia-

SPeciatim impoſturas arteſque Magicas impii fidelibus objecerunt, & quidem ab ipſomet CHRISTO acceptas. Finxerunt videlicet, CHRISTUM & ipſum fuiſſe Magum, Magiæque virtute miracula factitaſſe, & artes magicas diſcipulos ſuos docuiſſe, libris nimirum de Magia editis, quos Petro ac Paulo inſcripſerit; uti refert Auguſtinus lib. I de Conſenſu Evangeliſtarum cap. IX & X; qui etiam ibidem conjecturam ſubjungit, unde nimirum calumnia enata queat videri. *Fieri poteſt*, ait, *uti, ſive inimici nominis CHRISTI, ſive qui ejusmodi execrabilibus artibus de tam glorioſo nomine pondus autoritatis dare ſe poſſe putaverunt, talia ſub CHRISTI & Apoſtolorum nomine ſcripſerint.* Addit item, quare ad Petrum potius & Paulum, quam ad alios Apoſtolos, libros iſtos CHRISTUM ſcripſiſſe mentiti ſint. *Cum vellent*, inquit, *tale aliquid fingere CHRISTUM ſcripſiſſe ad diſcipulos ſuos, cogitaverunt, ad quos potiſſimum ſcribere potuiſſe facile crederetur, tanquam ad illos, qui ei familiarius adhæſiſſent, quibus illud quaſi ſecretum digne committeretur; occurrit eis Petrus & Paulus. Credo, quod pluribus locis ſimul eos cum illo pictos viderunt, quia merita Petri & Pauli etiam propter eundem paſſionis diem celebrius & ſolenniter Roma commendat.* Confer eundem Auguſtinum ſerm. XI in Matthæum, ſerm. XXIX de verbis Apoſtoli, lib. XII contra Fauſtum Manichæum cap. XLV, epiſt. V ad Marcellinum; Junge item Tertullianum Apolog. cap. XXIII, Origenem lib. I, adverſus Celſum, Euſebium lib. III Demonſtr. Evangelicæ cap. IIX, Recognition. quæ Clementi Romano vulgo tribuuntur, lib. I, Suetonium in Nerone cap. XVI, (ubi Chriſtiani audiunt *genus hominum ſuperſtitionis maleficæ*, id eſt, Magicis rebus ſtudentis) nec non Acta Martyrum; memo-

rata Baronio ad ann. CCLXXXVI; quæ narrant, ubi candentibus prunis nudis pedibus inambularet Tiburtius Chriſtianus, & Fabianum, Judicem ethnicum, ſic compellaret: *Tu, ſi potes, mitte manum in aquam calidam in nomine Jovis tui; &, ſi poteſt Jupiter Deus tuus, faciat te non ſentire ardorem. Nam mihi quidem in nomine Domini mei* JESU CHRISTI *videtur, quod ſuper flores roſeos gradiar; quia creatura ipſa creatoris ſui famulatur imperio*; Fabianum dixiſſe: *Quis ignorat, artem magicam vos docuiſſe* CHRISTUM *veſtrum?* Tangit quoque hanc criminationem Anaſtaſia Martyr, apud Chryſogonum conquerens, ſe a marito ſuo, homine Pagano, ut veneficam & ſacrilegam, in dirum carcerem eſſe conjectam. Verba ejus: ἐμὲ, ὡσανεὶ φαρμακὸν καὶ ἱερόσυλον, βαρυτάτῃ φυλακῇ παραδέδωκεν. Vide Nicephorum lib. XVI Hiſt. Eccleſ. cap. LIIX, & Suidam in voce *Chryſogonus.*

II. Et quoniam legerant vel audiverant Pagani, CHRISTUM ob Herodis furorem in Ægyptum translatum, maleficis ibi artibus eum operatum dicebant, iiſque inſtructum in Judæam remeaſſe. Clare id conſtat ex Origene, qui, loco citato, de Celſo, *Decerpens*, inquit, *ex Evangelio ſecundum Matthæum hiſtoriam de profectione* JESU *in Ægyptum, non credit miraculis, quæ ibi referuntur de Joſepho, angeli oraculo monito, nec inquirit, num quid rectius ſignificetur per migrationem* JESU *in Ægyptum ex Judæa: ſed fingit quiddam aliud, aſſentiens quodammodo mirificis virtutibus, quas* JESUS *exeruit; quibus multi inducti ſunt, ut eum tanquam* CHRISTUM *ſequerentur; conatus tamen eas calumniari, quaſi Magicis artibus, non divina vi, editas. Ait enim, eum clam educatum, & in Ægypto mercede famulatum, peritum mirificarum ejus gentis artium inde reverſum, quibus fretus pro* DEO Matth. 2, 13.

Q ſe ba-

ſe haberi paſſus ſit. Sic etiam Arnobius lib. 1 gentiles introducit hunc in modum de CHRISTO loquentes: *Magus fuit, clandeſtinis artibus omnia illa* miracula *perfecit, Ægyptiorum ex adytis angelorum potentium nomina* (quæ videlicet barbara & horrenda angelorum ac poteſtatum nomina in ſuis incantationibus proferebant, eorundem vi ac virtute res illas magnas & παραδόξους fieri exiſtimantes) *& remotas furatus eſt diſciplinas.*

III. Quid? quod eo progreſſus eſt impudentiæ ſceleſtiſſimus ille Celſus, ut ipſummet CHRISTUM, Dominum noſtrum, faſſum eſſe ſcripſerit, non alia ſe ratione miracula ſua edidiſſe, quam ſolent mirabilia patrare, autore Satana, præſtigiatores & impoſtores. Hæc enim ipſius ſunt verba, apud Origenem libro II: ὦ φῶς καὶ ἀλήθεια. τῇ αὐτοῦ φωνῇ διαῤῥήδην ἐξαγορεύει, καθὰ καὶ ὑμεῖς συγγεγράφατε, διότι παρέσονται ὑμῖν καὶ ἕτεροι δυνάμεσιν ὁμοίαις χρώμενοι, κακοὶ καὶ γόητες. καὶ Σατανᾶν τοιαῦτά τινα παραμηχανώμενον ὀνομάζει. ὥστ' οὐδὲ αὐτὸς ἔξαρνός ἐστιν, ὡς ταῦτά γε οὐδὲν θεῖον, ἀλλὰ πονηρῶν ἐστιν ἔργα. βιαζόμενος δὲ ὑπὸ τῆς ἀληθείας, ὁμοῦ καὶ τὰ τῶν ἄλλων ἀπεκάλυψε, καὶ τὰ καθ' αὐτὸν ἤλεγξε. πῶς οὖν οὐ σχέτλιον, ἀπὸ τῶν ἔργων, τὸν μὲν θεὸν, τοὺς δὲ γόητας ἡγεῖσθαι; τί γὰρ μᾶλλον ἀπό γε τούτων τοὺς ἄλλους πονηροὺς, ἢ τοῦτον νομιστέον αὐτῷ χρωμένους μάρτυρι; ταῦτα μέν γε καὶ αὐτὸς ὡμολόγησεν οὐχὶ θείας φύσεως, ἀλλ' ἀπατεώνων τινῶν καὶ παμπονήρων εἶναι γνωρίσματα. *O lucem & veritatem! Suis verbis ſuaque voce profitetur, quemadmodum veſtra Scriptura teſtantur, adventuros ad vos alios quoque cum ſimilibus præſtigiis, homines maleficos & præſtigiatores. & Satanam vocat quendam, qui harum autor erit artium. Atque ita ne ipſe quidem inficiatur, iſta nihil divinitatis habere, ſed eſſe maleficorum opera; & , veritate cogente, ſuas ſimul & aliorum artes detexit.*

xit. Annon igitur miſerabile eſt & indignum, ex iiſdem operibus, hunc quidem DEUM, *alios vero præſtigiatores exiſtimari? Cur enim, ex hujuſmodi artibus conjecturam ſumentes, alios potius malos credamus quam hunc, vel ipſius teſtimonio? Certe ipſe faſſus eſt, hæc non tam divinæ naturæ, quam impoſtorum & ſceleratorum hominum eſſe indicia.* Ita *rabidus* ille *adverſus* CHRISTUM *canis* (ut merito audit Hieronymo) ſpectans ad iſta Salvatoris, Matth. XXIV, 24. *Excitabuntur Pſeudo-Chriſti, & pſeudo-Prophetæ, & edent ſigna magna & prodigia.* Quæ vero quam malitioſe heic pervertantur a blaſphemo ſycophanta, prolixe oſtendit memorato loco Origenes. *proœm. libri de Vir. ill.*

IV. Sed & Arnobius, ubi ſupra, Paganorum iſthanc „impietatem caſtigans; Cum videret, inquit, futuros „vos eſſe geſtarum ab ſe rerum divinique operis abroga„tores, ne qua ſubeſſet ſuſpicio, Magicis ſe artibus mu„nera illa beneficiaque largitum, ex immenſa illa popu„li multitudine, quæ ſuam gratiam ſectabatur admirans, „piſcatores, opifices, ruſticanos, atque id genus dele„git imperitorum, qui per varias gentes miſſi, cuncta il„la miracula ſine ullis fucis atque adminiculis perpetra„rent. Verbo ille compeſcuit verminantium membro„rum cruces: & illi verbo compeſcuerunt furialium ver„mina paſſionum. Imperio ille uno exturbavit a cor„poribus dæmonas, & exanimatis ſuos reſtituit ſenſus; „ſub eorum tortantes & illi ſe caſibus, juſſione non alia „ſanitati & conſtantiæ reddiderunt. Ille notas albican„tium vitiliginum manu admota deterſit: liniamenta & „hi corporum haud diſſimili conciliavere contactu. Uli„ginoſa ille & turgentia viſcera ſiccitatem juſſit recupe-

„ rare nativam; & famuli ejus hoc modo ſtatuerunt er-
„ rantes aquas, & a pernicie corporum ſuos labi juſſere
„ per tramites. Ille ulcera oris immenſi, & recuſantia
„ perpeti ſanitatem, intra unius verbi moram continua-
„ to frenavit a paſtu: & illi haud aliter contumaciam can-
„ ceris ſævi ad ſubeundam cicatricem circumſcriptis eva-
„ ginationibus compulerunt. Inceſſum ille claudis dedit,
„ viſum luminibus cœcis, interemptos revocavit ad vi-
„ tam: nec minus & hi quoque contractionem relaxave-
„ re nervorum, luce oculos implevere jam perdita, & ab
„ tumulis remeare defunctos exequiarum converſione
„ juſſerunt. Neque quicquam eſt ab illo geſtum per ad-
„ mirationem ſtupentibus cunctis, quod non omne do-
„ naverit faciendum parvulis illis & ruſticis, & eorum
„ ſubjecerit poteſtati. Tandem concludit: Nihil, ut remi-
„ ni, magicum, nihil humanum, præſtigioſum, aut ſub-
„ dolum, nihil fraudis delituit in CHRISTO; derideatis li-
„ cet ex more, atque in laſciviam diſſolvamini cachinno-
„ rum. DEUS ille ſublimis fuit, DEUS radice ab infima,
„ DEUS ab incognitis regnis, & ab omnium Principe DE-
„ us ſoſpitator eſt miſſus: quem neque Sol ipſe, neque
„ ulla, ſi ſentiunt, ſidera, non rectores, non Principes
„ mundi, non denique Dii magni, aut, qui fingentes ſe
„ Deos genus omne mortalium territant, unde aut qui
„ fuerit, potuerunt noſcere vel ſuſpicari.

V. Deniq; nec illud heic prætermittendum, quod, per ſolitam malitiam, Celſus Chriſtianis affingere non dubitaverit, uſos fuiſſe ipſos, ad miracula patranda, incantationibus dæmonumque nominibus. Teſtis, memorato jam loco, Origenes: qui ſtatim ſubjungit, reſpi-

cere

certe heic ſycophantam ad poteſtatem ejiciendi dæmones, qua Chriſtiani pollebant, & incantationibus tribuere, quæ fiebant virtute nominis JESU: idque per calumniam manifeſtam. οὐ γὰρ, inquit, κατακηλήσεσιν ἰσχύειν δοκοῦσιν, ἀλλὰ τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ, μετὰ τῆς ἀπαγγελίας τῶν περὶ αὐτὸν ἱστοριῶν. ταῦτα γὰρ λεγόμενα, πολλάκις τοὺς δαίμονας πεποίηκεν ἀνθρώπων χωρισθῆναι, καὶ μάλιστα, ὅταν οἱ λέγοντες ἀπὸ διαθέσεως ὑγιοῦς καὶ πεπιστευκυίας γνησίως αὐτὰ λέγωσι, *Non enim incantationibus pollent, ſed nomine JESU, cum commemoratione ejus factorum. Nam his ſæpenumero profligati ſunt dæmones ex hominibus; præcipue, quoties, qui enunciant, ea ſano affectu & integra fide proferunt.*

CAPUT XVI.

DE CONVENTIBUS CHRISTIANORUM CLANCULARIIS ET NOCTURNIS.

QUemadmodum Cæcilio, homini Pagano, Chriſtiani audiunt *latebroſa* (Heraldus *tenebroſa* legit) & *lucifugax natio, in publico muta, in angulis garrula*: ſic inter criminationes, quas ore impuro adverſus eosdem maledicus ille Celſus effudit fere innumeras, primam fuiſſe teſtatur, ſub initium operis eidem oppoſiti, Origenes, quod conventus haberent clancularios legibusque prohibitos. Verba Adamantii: Πρῶτον τῷ Κέλσῳ κεφάλαιόν ἐστι, διαβαλεῖν Χριστιανισμὸν, ὡς συνθήκας κρύβδην πρὸς ἀλλήλους ποιουμένων Χριστιανῶν, παρὰ τὰ νενομισμένα. ὅτι τῶν συνθηκῶν αἱ μὲν εἰσὶ φανεραὶ, ὅσαι κατὰ νόμους γίγνονται, αἱ δὲ ἀφανεῖς, ὅσαι παρὰ τὰ νενομισμένα συντελοῦνται. Addit

dit mox, Celſi iſthæc eo tendere, ut calumnietur *τὴν καλουμένην Ἀγάπην Χριστιανῶν*, hoc eſt, *cœnulas* illas, (ut vocat Tertullianus Apolog. cap. XXXIX) de quibus Chryſoſtomus, in 1 Cor. XI, homil. XXVII, *Statis diebus*, inquit, *menſas faciebant communes, & peracta ſynaxi, poſt ſacramentorum communionem, omnes commune inibant convivium; divitibus quidem cibos adferentibus, ſed & pauperibus, & qui nihil habebant, vocatis, & omnibus communiter veſcentibus*; ac plenius, ſermone de verbis Apoſtoli: Δεῖ αἱρέσεις ἐν ὑμῖν εἶναι,

Agapæ Chriſtianorum [illegible]

„1 Cor. XI, 19. Inolevit in Eccleſiis conſuetudo quædam „admirabilis. Fideles enim omnes in conventibus ſuis, „poſtquam audiſſent doctrinas, poſt preces, poſt ſacra„mentorm communionem, ſoluta concione non mox „domum concedebant; ſed dites & abundantiores ali„menta & edulia a domibus ſuis auferentes, pauperes „vocabant, communesque faciebant menſas, communia „convivia, in ipſa eccleſia. Atque ita a communione „menſæ, & pietate loci, undequaqve ad charitatem ac„cendebantur, non absque ſumma voluptate utilitateq; „maxima. Pauperes enim tum fruebantur conſolatio„ne qualis obtingebat; divites vero fructum benevolen„tiæ, & ab ipſis quos paſcebant, & a Deo, propter quem „illos paſcebant, aſſequebantur: ſicque tandem domum „redibant. Igitur multa quidem hinc eis proveniebant „bona: ſummum tamen omnium erat, fervens in tota „congregatione amicitia, tanta ipſis inter ſe prudentia „atque benevolentia congregatis, non ſolum cum acci„perent, ſed & cum darent beneficia. Quibus ex aſſe conformia, quæ leguntur apud Tertullianum, ubi ſupra; *Cœna noſtra de nomine rationem ſui oſtendit. Vocatur enim*

ἀγά-

ἀγάπη, *id quod* dilectio *penes Græcos eſt*. *Quantiſcunque ſumptibus conſtet, lucrum eſt, pietatis nomine facere ſumptum. Siquidem inopes quosque refrigerio iſto juvamus: non qua penes vos* (Gentiles) *paraſiti affectant, ad gloriam famulandæ libertatis, ſub auctoramento ventris inter contumelias ſaginandi; ſed qua penes Deum major eſt contemplatio mediocrium*. Confer epiſtolam Judæ comm. XII, ibique veterem Scholiaſten Græcum, Hieronymum ad 1 Cor. XI, inque eundem locum jamjam citatum Scholiaſten, Auguſtinum lib. XX contra Fauſtum, cap. XX, Paulinum epiſt. de Gazophylacio, Conſtitutiones quæ Clementi vulgo adſcribuntur, lib. II, cap. XXIIX, Minutium Felicem in Octavio, Plinium Juniorem, lib. X, epiſt. XCVII, ad Trajanum, in tractatu de Perſecutionibus Eccleſiæ ſect. III, 5. ſqq. a nobis illuſtrata, Concilii Laodiceni canonem XXVII, repetitum c. *Non oportet*, diſt. XLII, & Concilii Gangrenſis, Conſtantini M. tempore celebrati, canonem XI, (productum ibidem c. *Si quis*,) cujus hæc ſunt verba: *Εἴ τις καταφρονοίη τῶν ἐκ πίστεως ἀγάπας ποιούντων, καὶ διὰ τιμὴν τοῦ κυρίου συγκαλούντων τοὺς ἀδελφοὺς, καὶ μὴ ἐθέλοι κοινωνεῖν ταῖς κλήσεσι, διὰ τὸ ἐξευτελίζειν τὸ γινόμενον, ἀνάθεμα ἔστω*. Vide quæ ibi annotant Zonaras & Balſamon.

II. Ceterum nocturno, aut potius veſpertino tempore ſacras iſtas epulas a primis Chriſtianis fuiſſe inſtitui ſolitas, ex citato jam ſupra capite XXXIX Tertulliani ſatis eſt manifeſtum. Deſcribens namque ibi conviviolum illud Apologeta, *Nihil*, inquit, *vilitatis, nihil immodeſtiæ admittit. Non prius diſcumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur. Editur quantum eſurientes capiunt, bibitur quantum pudicis eſt utile. Ita ſaturantur, ut qui meminerint, etiam* PER NOCTEM *adorandum* DEUM *ſibi eſſe: ita fabulantur,*

ut qui

ut qui ſciant Dominum audire. Poſt aquam manualem, & LUMINA, ut quisque de Scripturis ſanctis, vel de proprio ingenio poteſt, provocatur in medium Deo canere: hinc probatur, quomodo biberit. Atque oratio convivium dirimit. Inde diſceditur, non in catervas ceſionum, neque in claſſes diſcurſationum, nec in eruptiones laſciviarum (etiam hæc de nocturnis ebriorum ac temulentorum graſſationibus, obvios quosque pulſantium & cædentium, accipienda videntur) *ſed ad eandem curam modeſtiæ & pudicitiæ: ut qui non tam cœnam cœnaverint, quam disciplinam.*

III. Et alias etiam conſtat, nocturno tempore conventus ſuos celebrare ſolitos primitivæ Eccleſiæ Chriſtianos. Ita *nocturnarum congregationum* & *nocturnorum occultorumque ſacrorum* mentio apud Minutium Felicem in Octavio, *nocturnarum convocationum*, apud Tertullianum, libro II ad uxorem cap. IV, *antelucanorum cœtuum*, apud eundem Apologet. cap. II. & Act. XII, 12. legimus, poſt recentem Jacobi Apoſtoli necem, in domo Mariæ multos fuiſſe nocturno tempore congregatos, qui orarent pro Petro carceri incluſo, & jam morti deſtinato: refertque Plinius, loco ſupra memorato, faſſos fuiſſe coram tribunali perfidos Chriſtianæ religionis deſertores, *quod* dum CHRISTO adhuc ſervirent, *eſſent ſoliti ſtato die ante lucem convenire*. Nimirum cum non permitteret diurnos agere conventus immanis perſecutorum ſævitia, qua ipſa propemodum Solis luce, velut aqua & igni, Chriſtianis interdicebatur, noctu illi coibant. Quo ſpectans Tertullianus, ubi Fabium docere vult, quo pacto in mediis etiam perſecutionibus Dominica ſolennia celebrare liceat, *ſi*, inquit, *colligere interdiu non potes, habes noctem lu-*

æ CHRISTI *luminoſa adverſus eam*. Atque hoc eſt, quod, ſupra laudato loco, ait Origenes, conventus Chriſtianorum clancularios habitos eſſe ἀπὸ τοῦ κοινοῦ κινδύνου, *communis periculi cauſa*. Quin Celſus ipſemet diffiteri id non poteſt. Ubi enim CHRISTI cultoribus, quod latebras quærerent, exprobraſſet, ſubdit mox: οὐ μάτην τοῦτο ποιοῦσιν, ἅτε διωθούμενοι τὴν ἐπηρτημένην αὐτοῖς δίκην τοῦ θανάτου, *Non ſine cauſa id faciunt; ſed ut pœnam ſibi intentatam capitalem depellant.*

IV. Quanquam & alias, ubi de die in templo congregari non erat prohibitum, nocturnos nihilominus conventus agere ſolebant veteres. Id quod diſcere poſſumus, inter alia, ex Auguſtino, libro IX Confeſſionum, cap. VII, ſcribente: *Cum Juſtina, Valentiniani Regis pueri mater, hominem tuum* (Deum affatur) *Ambroſium perſequeretur, hæreſis ſuæ cauſa, qua fuerat ſeducta ab Arrianis, excubabat pia plebs in eccleſia, mori parata cum Epiſcopo ſuo, ſervo tuo.* Confer Ruffinum, libro II Hiſt. Eccl. cap. XV, ſeq. Socratem, lib. V, cap. XI. Sic etiam de Alexandro, Conſtantinopolitano Epiſcopo, idem Ruffinus libro I cap. XII refert, quod, cum Euſebius Nicomedienſis, ejusque aſſeclæ, Imperatoris autoritate freti, vi Arium in Eccleſiam ſe introducturos minarentur, ipſe *nocte, quæ ad conſtitutam intererat diem, ſub altari jacens, atq; in oratione & lachrymis totam pervigilem ducens, Eccleſiæ cauſam Domino commendarit.* Lege etiam Socratem lib. I, cap. XXXVII, Theodoretum lib. I, cap. XIV, Sozomenum lib. II, cap. XXIX. Qui idem Sozomenus etiam de Athanaſio narrat, libro III, cap. VI, quod, cum Gregorii aliorumque Arianorum inſidiis peteretur, *imminente nocte conventum eccleſiaſticum coëgerit*, & pſalmodiam inſtitui juſſerit.

v. Sed illa quidem exempla ſpecialia ſunt, & quid extra ordinem factum, inſigni ſcilicet aliquo periculo Eccleſiis imminente, oſtendunt. Sunt vero in promtu & alia veterum teſtimonia, quæ de uſu veſpertinarum nocturnarumque & antelucanarum precum ordinario dubitare non ſinunt. Ita Baſilius M. libro de Spiritu ſancto cap. XXIX, ἔδοξε, inquit, τοῖς πατράσιν ἡμῶν, μὴ σιωπῇ τὴν χάριν τοῦ ἑσπερινοῦ φωτὸς δέχεσθαι, ἀλλ' εὐθὺς φανέντος εὐχαριστεῖν, *Viſum eſt Patribus noſtris, veſpertini luminis gratiam haudquaquam ſilentio accipere, ſed mox, ut apparuit, gratias agere.* Idem epiſtola LXIII, ad Clericos Eccleſiæ Neocæſarienſis, loquens de ritibus qui per univerſam Eccleſiam ſuo tempore obtinuerint, nocturnos quoque conventus iis annumerat, ἐκ νυκτὸς, ſcribens, ὀρθρίζει παρ' ἡμῖν ὁ λαὸς ἐπὶ τὸν οἶκον τῆς προσευχῆς, *De nocte populus* conſurgens *antelucano tempore domum precationis petit, inq; labore ac tribulatione & lacrymis indeſinentibus facta ad* DEUM *confeſſione, tandem ab oratione ſurgentes ad pſalmodiam traducuntur.* Socrates libro V, cap. XXII: ἐν Ἑλλάδι, καὶ Ἱεροσολύμοις, καὶ Θεσσαλίᾳ, τὰς ἐν ταῖς λυχναψίαις εὐχὰς ποιοῦνται, *In Græcia, & Ieroſolymis, & Theſſalia, preces, dum accenduntur lucernæ, perſolvunt.* Ambroſius libro III, epiſt. XI: *Inter legendum cum paululum requievissem animo, quia lucubratione deſtiteram, verſiculum illum cœpi mecum volvere, quo veſperi in vigiliis uſi fueramus.* Idem ſerm. VII in Pſalmum CXIX, ad comma ejus 55. *Non dormiamus totis noctibus; ſed maximam partem earum lectioni & orationibus deputemus.* & ad comma 62. *Non ſatis eſt dies ad deprecandum; ſurgendum eſt & nocte, & media nocte.* Tertullianus libro II ad uxorem cap. V: *Latebisne tu* (maritum infidelem) *cum etiam per noctem exſurgis oratum?*

tum? Hieronymus, epiſtola VII, qua Lætam docet, quomodo filiam inſtituere debeat, *Præponatur ei*, ſcribit, *probæ fidei ac morum ac pudicitiæ virgo veterana; quæ illam doceat & aſſueſcat exemplo ad orationes & pſalmos nocte conſurgere, —— accenſaq; lucerna reddere ſacrificium veſpertinum.* Idem, in Paulæ epitaphio, de virginibus, quæ vitam eo tempore egerunt monaſticam, refert, quod *noctis medio* Pſalterium cantaverint; & Euſtochium de cuſtodia virginitatis inſtituens, epiſt. XXII, *Ad orationem*, inquit, *tibi nocte ſurgenti non indigeſtio ructum faciat, ſed inanitas*; deq; eodem argumento ſcribens ad Demetriaden, epiſt. IIX, *Sic debes jejunare*, ait, *ut, fracto corporis appetitu, nec in lectione, nec in Pſalmis, nec in vigiliis ſolito quid minus facias.* Iterumque, poſt nonnulla interjecta, eandem hortatur, ut pſalmis & orationi vacet *ad veſperum, media nocte, & mane.* Agit etiam de nocturnis veterum precibus Johannes Caſſianus libris de Inſtitutis Cœnobiorum; ubi habes, libro quidem II, *veſpertinos conventus, & nocturnas vigilias*, cap. III, *nocturnas ſolennitates*, cap. IV, *ſolennitatem veſpertinam ſacratiſſimam*, cap. V, *veſpertina & nocturna conventicula*, cap. VI, *nocturnos Pſalmos & orationes*, cap. XIII; libro III, *veſpertinas horas ac nocturnas congregationes*, cap. II; *antelucanas orationes*, cap. V. Sed & *antelucanos cœtus* memorat Sidonius lib. I, epiſt. II. ut alios mittam.

VI. Quamobrem autem nocturnas præcipue horas precibus deſtinaverint priſci Chriſtiani, non unam ab iis rationem afferri videas. Et primum quidem pro more iſto urgeri ſolet ipſa Scripturæ ſacræ autoritas. Sic Athanaſius de Virginitate, ſive de Meditatione, Baſilius M. in Regg. fuſius explicatis quæſt. XXXVII, Ambroſius ſerm. *Quare nocturnum tẽpus orationi deſtinarint veteres.*

 VII in

vii in Pſalmum cxix, Hieronymus Comm. in Matth. xxv, & epiſtola adverſus Vigilantium Ripario inſcripta, provocant ad illud Davidis, Pſ. cxix, 62. *Media nocte ſurgebam ad confitendum Tibi ſuper judicia juſtificationis tuæ.* Ei jungit Ambroſius, præter ejuſdem Pſalmi comma 55. *Memor fui noctе nominis tui, Domine, & cuſtodivi legem tuam*; locum Pſalmi vi, 7. *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum*; & illum Cantic. iii, 1. *In cubili meo in noctibus quæſivi quem dilexit anima mea*; Baſilius autem locum Pſ. cxix, 148. *Prævenerunt oculi mei diluculum, ut meditarer eloquia tua.* Quem ipſum, uti & comma præcedens 147. *Præveni in maturitate & clamavi*; etiam Caſſianus affert libro iii de Inſtitutis Cœnobiorum cap. iii. ubi quoque urget Pſalmi lxiii comma 7. *In matutinis meditabor in Te*; ejuſdemque verba initialia: *Deus Deus meus, ad Te de luce vigilo.* Quæ & Athanaſius laudat, ubi ſupra. Porro Baſilius, memorato loco, & Cyprianus de Oratione Dominica, verba producunt Pſalmi v, 4. 5. *Domine, mane exaudies vocem meam: mane aſſiſtam Tibi, & contemplabor Te.* Quibus Cyprianus addit illud Oſ. vi, 1. *Diluculo vigilabunt ad me, dicentes: Eamus & revertamur ad Dominum Deum noſtrum.* Autor Hiſtoriæ Barlaami, quæ Damaſceno tribui ſolet, poſtquam de Joſaphat, Indorum Regis filio, Chriſtianam fidem amplexo, dixerat, cap. xxii: *Cum plerumque diurno tempore, tum ob eorum, qui cum ipſo verſabantur, contubernium, tum etiam interdum ob Regis ad eum acceſſum, aut quod ipſe ab eo acciretur, ſeſe interrumpi videret, nox ipſi, quod diei deerat, ſupplebat; ut qui in precibus & lacrymis ad diluculum usque ſtaret, ac Dei opem imploraret:* ubi, inquam, de novello illo Christi cultore hæc nota-

verat,

gerat, impletam fuiſſe in eo, ſubjungit, vocem Propheticam: *In noctibus extollite manus veſtras in ſancta, & benedicite Dominum*, Pſ. CXXXIV, 2. Eundem hunc locum, ſed & illum Pſalmi CXIX, 62. (de quo ſupra) juxta cum commate 55. *Memor fui nocte nominis tui, Domine, et cuſtodivi legem tuam*; profert quoque autor epiſtolæ vel ſermonis de obſervatione Vigiliarum, (qui Hieronymus vulgo creditur) prætereaque adducit verba Pſ. LXXXIIX, 2. *Domine Deus ſalutis meæ, in die clamavi & nocte coram Te*; Pſ. LXXVII, 3. *In die tribulationis meæ DEUM exquiſivi manibus meis nocte contra eo, & non ſum deceptus*; Pſ. XCII, 3. *Bonum eſt confiteri Domino, & pſallere nomini tuo, Altiſſime: ad annunciandum mane miſericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem*; denique iſta Eſaiæ XXVI, 9. *De nocte vigilat ſpiritus meus ad Te, Deus; quoniam lux præcepta tua ſuper terram*. Quibus allatis ſubjungit: *Hæc & hujuſmodi tanta ac talia ideo Sancti cecinerunt, & ſcripta reliquerunt, ut nos, eorum poſteri, paribus excitaremur exemplis ad celebrandas etiam noctibus ſalutis noſtræ excubias*.

VII. Porro Cyprianus & Ambroſius, ubi ſupra, nec non Hieronymus epiſtola adverſus Vigilautium Ripario inſcripta, e Teſtamento Novo ipſius CHRISTI proponunt exemplum, de quo legimus, quod *fuerit pernoctans in oratione DEI*, Luc. VI, 12. Et Cyprianus quidem, *Si ille*, ait, *per totam noctem jugiter vigilans continuis precibus orabat, quanto nos magis in frequentanda oratione debemus nocte vigilare?* Proponit ex eodem Evangeliſta exemplum etiam Hannæ viduæ, quæ *ſine intermiſſione rogans ſemper & vigilans perſeveraverit in promerendo DEO*, Luc. II, 37. Ambroſius præterea, uti & Baſilius ac Hieronymus, locis proxime me-

moratis, provocant ad exemplum Pauli & Silæ, de quibus legamus, quod κατὰ τὸ μεσονύκτιον, *media nocte orantes hymnos cecinerint* DEO, Act. XVI, 25. Omnia hæc annotat quoq; ſupra citatus autor ſermonis de obſervatione Vigiliarum, & præterea urget exemplum paſtorum excubantium, noctisque vigilias obſervantium, quibus angelus nativitatem Domini annunciavit, Luc. II, 8. ſeqq. urget, quod Salvator ad vigilias hortetur parabola de inimico zizania inter triticum ſerente, quum dormirent homines, Matth. XIII, 26. item diſertis verbis Luc. XII, 37. Matth. XXVI, 41. (quod teſtimonium adducit quoq;, loco jamjam memorato, Hieronymus) ubi etiam Petrum ita increpet: *Non potuiſti una hora vigilare mecum?* urget porro, quod, *his inſtructi ſermonibus, his confirmati documentis, beati Apoſtoli, & ipſi vigilarint, & vigilias imperarint.* Ita Petrum, ab angelo in carcere ſuſcitatum, in domum perveniſſe Mariæ, *ubi*, inquit, *erant multi congregati, non ſtertentes utique, ſed orantes*, Act. XII, 12. eundem in epiſtola ſua, ut vigilemus, monere, 1 Pet. V, 8. adjicit denique, Paulum ſermonem duxiſſe usque ad mediam noctem, Act. XX, 7. & ad vigilantiam hortari ſuos Theſſalonicenſes, 1 Theſſ. V, 6. ſeqq. Corinthios, 1 Cor. XVI, 13. Epheſios, Eph. VI, 18. deque ſuis ipſius vigiliis gloriari 1. Cor. XI, 27. ad quæ loca heic etiam provocat Hieronymus, ſæpius laudata adverſus Vigilantium epiſtola.

IIX. Præter exempla CHRISTI & ſanctorum hominum, angelorum quoque vigilantiam pernoctationibus ſuis exprimere voluiſſe veteres, Clemens Alexandrinus docet in Pædagogo, lib. II, cap. IX, *Sæpe*, inquiens, *etiam noctu e lecto ſurgendum eſt, Deusq; eſt laudandus. Beati enim*

qui

qui in ipſum vigilarunt, ſe ipſos aſſimilantes Angelis, quos vigiles (ἐγρηγόρους) *appellamus.* Similiter Hieronymus, ubi ad verba Daniel. IV, 10. *Ecce vigil & ſanctus de cœlo deſcendit*, monuerat, ſignificari heic a Propheta angelos, *quod ſemper vigilent, & ad* DEI *imperium ſint parati*; ſubjungit: *Unde & nos crebris pernoctationibus imitamur angelorum officia.* Quin ad ipſiuſmet DEI imitationem vigilias iſtas inſtitui mox innuit ſanctus Pater, quando immediate addit: *Et de Domino dicitur: Non dormitabit neque dormiet qui cuſtodit Iſrael.* Quem etiam locum, itidem de Vigiliis diſputans, producit epiſtola adverſus Vigilantium Ripario inſcripta. Pſ. 121, 4.

IX. Sed & alias nocturnarum precum cauſas a veteribus afferri videas. Sic Athanaſius, de Virginitate, *Media*, inquit, *nocte excitaberis, & hymnis celebrabis Dominum* DEUM *tuum. Ea enim hora Dominus a mortuis ſurrexit, & Patrem ſuum hymnis celebravit, atque ideo nobis injunxit, ut eadem hora hymnos* DEO *diceremus.* Cyprianus de Oratione Dominica: „Mane orandum eſt, ut reſurrectio „Domini matutina oratione celebretur. —— Recedente item Sole, ac die ceſſante, neceſſario rurſus orandum „eſt. Nam quia CHRISTUS Sol verus & dies eſt verus, Sole ac die ſeculi recedente, quando oramus & petimus, „ut ſuper nos lux denuo veniat, CHRISTI precamur adventum, lucis æternæ gratiam præbiturum. —— Quando mundi lege decurrens vicibus alternis nox revoluta ſuccedit, nullum de nocturnis tenebris eſſe orantibus damnum poteſt; quia filiis lucis & in noctibus dies eſt. Quando enim ſine lumine eſt, cui lumen in corde eſt? aut quando Sol ei & dies non eſt, cui Sol & dies

„ es Christus? Qui autem in Christo, hoc eſt, in lumine
„ ſemper ſumus, nec noctibus ab oratione ceſſemus.-- Vi-
„ derint vel gentiles, qui necdum illuminati ſunt, vel Ju-
„ dæi, qui deſerto lumine in tenebris remanſerunt. Nos,
„ fratres dilectiſſimi, qui in Domini luce ſemper ſumus,
„ qui meminimus & tenemus, quid eſſe accepta gratia
„ cœperimus, computemus noctem pro die. Ambulare
„ nos credamus ſemper in lumine; non impediamur a te-
„ nebris quas evaſimus: nulla ſint horis nocturnis precum
„ damna, nulla orationum pigra & ignava diſpendia. Per
„ Dei indulgentiam recreati ſpiritaliter & renati, imite-
„ mur quod futuri ſumus; habituri in regno ſine inter-
„ ventu noctis ſolum diem. Similia multa habet Am-
broſius ſerm. VII in Pſalmum CXIX, ad comma 55. Inter a-
„ lia, Cum ſomno, inquit, & cibo fervent corpora, tunc
„ etiam vigor mentis ſopore laxatur, ſomno reſolvitur;
„ tunc irrepit impuri libido concubitus; tunc perturba-
„ tur cor, ſqualorem immunditiæ non veretur, caſtitatis
„ puritas non conſideratur, pudicitiæ gloria non recenſe-
„ tur. Nox erat, quando Judas prodidit, quando Petrus ne-
„ gavit. Illo igitur præcipue tempore juſtificationes Dei
„ animo retexendæ ſunt, relegenda mandata hortatoria.
„ & ad comma 62. Multa in illo tempore tentamenta
„ proſerpunt. Tunc fervet carnis illecebra, tunc ten-
„ tator illudit. Coquitur cibus, potuſque digeritur; ſto-
„ machus æger, mens ſomnolenta, animus occupatus eſt.
„ Itaque aut quieſcenti calor ſoporis augetur, aut vigilan-
„ ti nondum plenior refuſus eſt vigor, qui errorum cave-
„ re poſſit incurſus. Tunc igitur tentator aſſiſtit, tunc
„ retia jacit, quibus turbare poteſt mentem improvidam;
tunc

„ tunc ſpiritales nequitiæ tenebras offundunt: tunc o-
„ mne nefas ſuadere contendunt; quando nullus arbi-
„ ter culpæ, nullus criminis conſcius, nullus poteſt eſſe
„ erroris teſtis. Tunc varias diſceptationes pectori dor-
„ mitantis infundunt, ut primo de ſtatu mentis dejiciant
„ reluctantem, & aliquorum, qui ſancti habentur, propo-
„ natur exemplum, quod illi aliquando deliquerint, ſed
„ poſtea veniam ſint adepti, & texerint ſuperiora delicta.
„ —— Itaq; ut tempus habile hoc tentamentis: ita etiam
„ tẽpus eſt pœnæ, quo ex lectione divina poſſumꝰ edoce-
ri. Refer huc etiam illa Prudentii, ex hymno ad gallici-
nium:

Ales diei nuncius
lucem propinquam præcinit.
Nos excitator mentium
Jam CHRISTVS *ad vitam vocat.*
Auferte, clamat, lectulos
ægro ſopore deſides:
Caſtèque, rectè, ac ſobrie
vigilate: jam ſum proximus.
Poſt Solis ortum fulgidi
ſerum eſt cubile ſpernere;
ni parte noctis addita
tempus labori adjeceris.
Vox iſta, qua ſtrepunt aves,
ſtantes ſub ipſo culmine,
paulo ante quam lux emicet,
noſtri figura eſt Iudicis.
Tectos tenebris horridis
ſtratiſq; opertos ſegnibus
ſuadet quietem linquere
jamjamq; venturo die.

Ut, cum coruſcis flatibus
aurora cœlum ſparſerit,
omnes labore exercitos
confirmet ad ſpem luminis.
Hic ſomnus, ad tempus datus,
eſt forma mortis perpetis.
Peccata, ceu nox horrida,
cogunt jacere ac ſtertere.
Sed vox ab alto culmine
CHRISTI docentis præmonet,
adeſſe jam lucem prope,
ne mens ſopori ſerviat.
Ne ſomnus, uſque ad terminos
Vitæ ſocordis, opprimat
pectus ſepultum crimine,
& lucis oblitum ſuæ.

Quibus ſubjungit mox rationes alias, quamobrem ſub gallicinium vigiliis & orationi vacandum: inter ceteras etiam hanc, quod eo tempore Salvator noſter ab inferis rediiſſe, victoremque ſe mortis ac inferni exhibuiſſe credatur. Verba ſunt:

Inde eſt, quod omnes credimus,
illo quietis tempore,
quo gallus exultans canit,
CHRISTUM rediiſſe ex inferis.
Tunc mortis oppreſſus vigor;
tunc lex ſubacta eſt Tartari;
tunc vis diei fortior
noctem coëgit cedere.
Jamjam quieſcant improba,
jam culpa furva obdormiat;

Jam

jam noxa letalis, ſuum
perpeſſa ſomnum, marceat.
Vigil viciſſim ſpiritus,
quodcunque reſtat temporis,
dum meta noctis clauditur,
ſtans ac laborans excubet.

x. Atque hæc de nocturnis precibus in genere. Fuerunt autem & ſtatis quibuſdam temporibus vigiliæ olim in Eccleſia obſervatæ; uti paſſim hiſtoria docet Eccleſiaſtica. Ita Caſſianus, Inſtitut. Cœnobiorum lib. III, cap. IIX & IX, vigilias Sabbaticas memorat, ſingulis hebdomadibus inſtitui ſolitas: *quas*, ait, *a tempore prædicationis Apoſtolicæ, quo religio ac fides Chriſtiana fundata eſt per univerſum Orientem, idcirco ſtatutum eſt illuceſcente ſabbato celebrari, quod, Domino & Salvatore noſtro ſexta ſabbati crucifixo, diſcipuli adhuc recenti ejus paſſione percuſſi, pervigiles tota nocte manſerunt, nullatenus quietis ſomnum oculis ſuis indulgentes. Quamobrem* (ita pergit) *ex illo tempore huic nocti deputata vigiliarum ſolennitas usque in hodiernum diem per univerſum Orientem ſimiliter obſervatur.* Auguſtinus, ſermone CCLI de tempore, Vigiliarum Dominicalium meminit. Verba ipſius ſunt: *Obſervemus diem Dominicam, fratres, & ſanctificemus illam, ſicut antiquis præceptum eſt de Sabbato, dicente Legiſlatore:* A veſpere uſque ad veſperam celebrabitis Sabbata veſtra. *Videamus, ne otium noſtrum vanum ſit, ſed a veſpere diei Sabbati usque in veſperam diei Dominici, ſequeſtrati a rurali opere, & ab omni negotio, ſoli divino cultui vacemus. Sic quoque ſanctificamus rite ſabbatum Domini, dicente Domino:* Omne opus non facietis in eo. *Veniat ergo, cuicunque poſſibile ſit, ad veſpertinam atque nocturnam*

Vigiliæ Sabbaticæ.

Vigiliæ Dominicales.

Levit. 23, 32.

Exod. 20, 10.

nam celebrationem, & oret ibi in conventu Eccleſia pro peccatis ſuis DEVM. *Qui vero hoc non poſſit, ſaltem in domo ſua oret, & non negligat* DEO *ſolvere votum, ac reddere penſum ſervitutis.* Gemina leguntur in Concilio Matiſconenſi II, can. I. Ubi enim dixerant Patres: *Cuſtodire debemus diem Dominicam, qua nos denuo peperit, & a peccatis omnibus liberavit;* & mox: *Ipſe eſt dies requietionis perpetuus; ipſe nobis per ſeptima diei umbram inſinuatus noſcitur in Lege & Prophetis. Juſtum igitur eſt, ut hanc diem unanimiter celebremus, per quam facti ſumus quod non fuimus. Fuimus enim ante ſervi peccati; ſed per eam facti ſumus filii Juſtitiæ;* ubi, inquam, hæc monuerant, ſubjungunt: *Noctem quoque ipſam, quæ nos ſupernæ luci & inaceſſibili reddidit, ſpiritualibus exigamus excubiis, nec dormiamus in ea, quemadmodum dormitant qui nomine duntaxat Chriſtiani eſſe noſcuntur: ſed oremus & vigilemus operibus ſacris, ut digni habeamur in regno coheredes fieri Salvatoris.* Refer etiam huc, quod apud Socratem habetur, libro V Hiſtoriæ Eccleſ. cap. XXII: *Cæſariæ Cappadociæ & in Cypro die Sabbati ac Dominica perpetuo Presbyteri & Epiſcopi circa veſperam accenſis lucernis Scripturas interpretantur.* Sed & alias majoribus diebus feſtis vigilias olim fuiſſe præmiſſas, veterum Patrum ſcripta docent. Quin ex ipſiſmet autoribus ethnicis Ammianus Marcellinus id indicat, dum ſub libri XXIIX finem hæc habet: *Balladius, exbiberi preceptus, cogitans quas criminum coxerit moles, in ſtatione primis tenebris obſervata cuſtodum abſentia,* QVI FESTO DIE CHRISTIANI RITUS IN ECCLESIA PERNOCTABANT, *innodato gutture laquei nexibus interiit.* Notæ etiam vigiliæ in ſanctorum Martyrum honorem inſtitui ſolitæ. Quas quia improbabat Vigilantius, Dormitantius audit acerbiſſimeq; vapulat

Hie-

Hieronymo, libro quem adverſus ipſum emiſit, tum quoque epiſtola ad Riparium. Etſi poſtmodum, ob eandem illam cauſam, qua, ut ex ipſo patet Hieronymo, præcipue movebatur Vigilantius, nempe quia occaſione nocturnorum illorum conventuum enormia non raro flagitia committebantur, publica Eccleſiæ autoritate abrogatæ ſunt iſtæ vigiliæ; uti paulo poſt patebit.

XI. Præ ceteris autem pernoctationibus omnibus in univerſa antiquitate celebres ſunt vigiliæ Paſchales: quas hinc *ſolennes vigilias* nuncupat Hieronymus libro adverſus Vigilantium, & Alcimus Avitus, homil. de Rogationibus, *ſolennes pernoctationes*, iterum Hieronymus, epiſt. VII, ad Lætam, *τὴν μεγάλην τοῦ πάσχα διανυκτέρευσιν*, *magnam Paſchatis vigiliam*, Euſebius lib. VI Hiſt. Eccl. cap. IX. Nimirum *hæc eſt nox*, ait Lactantius, lib. VII, cap. XIX, *quæ nobis propter adventum Regis ac DEI noſtri pervigilio celebratur. Cujus ratio eſt, quod in ea vitam tum recepit, cum paſſus eſt*. Quibus plane gemina habet Iſidorus lib. VI Etymolog. cap. XVII. Ad iſtas vigilias reſpicit Tertullianus, libro II ad uxorem cap. IV, dum inter alia incommoda, quæ ex matrimonio cum viro infideli contracto naſcantur, etiam hoc urget, quod talis maritus æquo animo haud laturus ſit uxoris ſuæ abſentiam in anniverſario Paſchatis pervigilio. *Quis*, inquit, *nocturnis convocationibus, ſi ita oportuerit, a latere ſuo eximi* conjugē *libenter feret? quis ſolennibꝰ Paſchæ abnoctantē ſecurus ſuſtinebit?* Agit etiam de his ſolennibus autor Conſtitutionū Apoſtolicarum, lib. V, cap. XX, cujus verba ſunt: *ἀπὸ ἑσπέρας πέμπτης μέχρις ἀλεκτροφωνίας ἀγρυπνοῦντες, καὶ ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἐν ἐκκλησίᾳ συναθροιζόμενοι γρηγορεῖτε, προσευχόμενοι καὶ δεόμενοι τοῦ Θεοῦ ἐν*

Vigiliæ Paſchales.

τῇ διανυκτερεύσει ὑμῶν, ἀναγινώσκοντες τὸν νόμον, τοὺς Προφήτας, τοὺς ψαλμοὺς, μέχρις ἀλεκτρυόνων κραυγῆς. Ita Socrates, libro VII Hiſtor. Eccl. cap. V, quando de Sabbatio agit, magnam ad eum confluxiſſe ait in Paſchatos feſto multitudinem, τὴν ἐξ ἔθους παννυχίδα ποιούντων. Et Euſebius libro VI, cap. IX, refert, cum aliquando Ieroſolymis in magna Paſchatis vigilia oleum Diaconos defeciſſet, Narciſſum (erat is XXX Ieroſolymitanæ Eccleſiæ Epiſcopus) iis qui lumina apparabant, præcepiſſe, ut aquam e puteo quodam vicino haurirent, ſibique afferrent. Quod cum factum eſſet, ſuper aqua ipſum oraſſe, utque eam ellychniis infunderent, juſſiſſe. Atque ita mox naturam aquæ in olei qualitatem miraculoſe fuiſſe commutatam.

Lumina Paſchalia. XII. Videlicet (ut & hoc obiter interſeramus) Paſchalis illa nox luminibus illuſtrari ſolebat, flammiſque ita coruſcare, ut ſplendore ipſo cum die certaret. Quo de Gregorius Nazianzenus, oratione XLII, quæ eſt ſermo II in Paſcha, *Præclara*, inquit, *nobis fuit heſterna ſplendoris luminumque ſolennitas* (λαμπροφορία καὶ φωταγωγία) *quam privatim juxta publiceque peregimus, omne genus hominum ferme, atque omnes magiſtratu & dignitate inſignes, copioſo igne noctem colluſtrantes*, καὶ τοῦ μεγάλου φωτὸς ἀντίτυπος, *& magni illius luminis figura*. Ad quem locum Nicetas, *Pervigilem*, inquit, *noctem traducebant, usq. ad horam ſeptimam cantantes, ac lampades accendentes, atque imminentem Servatoris noſtri reſurrectionem expectantes.* Eidem quoque Nazianzeno, oratione XXIIX, qua patri parentat, nox, de qua agimus, dicitur λαμπρὰ νὺξ, λύουσα τὸ σκότος τῆς ἁμαρτίας, *nox lucvlenta, peccati tenebras diſcutiens*, *qua nos*, ait, *cum copioſo lumine* (ἐν πλουσίῳ φωτὶ) *ſalutis noſtræ feſtum agimus*,

mus. Similiter Gregorius Nyſſenus, itidem oratione Paſchali: *Quod oculis cernitur lumen* (de ipſo Paſchatos die loquitur) *nocte nobis per lampadas in nube ignis preferebatur.* & mox: *Hæc lucida nox, commixta lampadum luminibus cum matutinis radiis Solis, unum continuum nullarum interpoſitione tenebrarum diremptum diem effecit.* Sed & Euſebius, Conſtantini M. vitam deſcribens, lib. IV, cap. XXII, inter alia, *Sacras,* ait, *vigilias ad diurnam usque lucem continuavit, cereas candelas ſublimiſſimas per totam civitatem accendentibus illis qui ad id erant deputati. Erant autem lampades igneæ totum locum illuſtrantes, ita ut myſticas vigilias clara die ſplendidiores redderent.* Eleganter, ut ſolet, Paſchales iſtas ceremonias exprimit Prudentius, hymno ad incendium lucernæ, verſ. 137, ita canens:

Nos feſtis trahimus per pia gaudia
noctem conciliis, votaque proſpera
certatim vigili congerimus prece,
exſtructoque agimus liba ſacrario.
Pendent mobilibus lumina funibus,
quæ ſubfixa micant per laquearia;
& de languidulis fota natalibus
lucem perſpicuo flamma jacit vitro.
Credas ſtelligeram deſuper aream
ornatam geminis ſtare trionibus,
&, quà boſforeum temo regit jugum,
paſſim purpureos ſpargier Heſperos.

Nec minus ſcite de eodem argumento ſcribit Drepanius:

Hunc (de CHRISTO loquitur) *ut per totam poſſimus dicere noctem,*
inferimus claros ſanctis altaribus ignes:

Veſti-

Veſtibus innumeris tereti circumflua gyro
æquoream cohibet formatrix cera papyrum,
cera, domus mellis. Jam cetera turba colentum
nigrantes tenuat vario ſplendore tenebras,
ubertat ſtuppas. Fervet diſcordia concors,
ut, dum ſacra pio peraguntur myſtica ritu,
æmula ſidereis vigilent funalia flammis.
Hac tibi, CHRISTE, tui Patris indiſcreta propago,
multa luce micans, terra nox ſplendet in omni,
nox claro magis clara die. - - -

Sed & Auſonius CHRISTUM, Dominum noſtrum, ita heic affatur:

Ad te mei properant vigilatum convenientes.
Nox lucem revehet funalibus anteferendam:
nox lumen pariens credentibus indubitatum:
nox flammis operum meditatrix ſyderiorum.

XIII. Notari etiam poſſunt, quæ de Paſchali hac pernoctatione ſcribit Hieronymus ad Matthæi XXV, 6. „Traditio Judæorum eſt, CHRISTUM media nocte ven„turum, in ſimilitudinem Ægyptii temporis, quando Pa„ſcha celebratum eſt, & exterminator venit, & Domi„nus ſuper tabernacula tranſiit, & ſanguine agni poſtes no„ſtrarum frontium conſecrati ſunt. Unde reor & tradi„tionem Apoſtolicam permanſiſſe, ut in die Vigiliarum „Paſchæ ante noctis dimidium populos dimittere non „liceat, exſpectantes adventum CHRISTI. At ſatis tandem, imo, pro inſtituti ratione, plus ſatis de veterum Chriſtianorum vigiliis. De quibus non præter rem dicitur in ſermone de obſervatione Vigiliarum Hieronymi operibus inſerto: *Antiqua eſt Vigiliarum devotio, familiare bo-*

Exod. 12.

num

num omnibus ſanctis; uti ex hactenus allatis liquere poteſt. Perſequemur nunc ea unde divertimus.

XIV. Diximus, ſub capitis hujus initium, objectos fuiſſe Chriſtianis ab infidelibus conventus nocturnos legibus prohibitos. Nimirum inter leges XII Tabularum, prout eas Jacobus Gothofredus, JCtus, exhibet, tabula IX lex habetur ejusmodi: *Si qui in urbe cœtus nocturnos agitasſit, capital eſto.* Ad quam provocans Porcius Latro, declamatione in L. Serg. Catilinam, Animadvertendum eſt, inquit, pariter uno maleficii genere Catilinam, non modo Deos ac patriam, verum etiam mores, leges, conſuetudinem urbis, atque inſtituta majorum violaſſe. Primùm XII Tabulis cautum eſſe cognoſcimus, ne quis in urbe cœtus nocturnos agitaret: deinde Lege Gabinia promulgatum, qui coitiones ullas clandeſtinas in urbe conflaviſſet, more majorum capitali ſupplicio multaretur. De te itaque, Catilina, ſciſcitor, tune cœtus iſtos commilitonum contra præcepta XII Tabularum, contra leges noſtras, contra Senatus ac plebis autoritatem, noctu agendos eſſe putaviſti? & poſt: Quid leges igitur noſtras violas, Catilina? quid Senatus autoritati contradicis? Æquum enim eſt, inſtituta majorum atque edicta graviſſimi ſanctiſſimique ordinis quia perſtringere tua veſania non es veritus, ea reſtituas ac ſancias ſupplicii tui memorabili animadverſione.

Nocturni conventus Rom. legibus prohibiti.

XV. Porro huc etiam refer legem, inter leges Romuli, prout a Franciſco Balduino ſunt editæ, IIX: *Nocturnas in templo vigilias ne habento.* In quam ita commentatur modo dictus JCtus: *Nullam eſſe tam caſtam religionem,*

quam hominum libido atque impudentia non contaminet, ſi & adſint latebræ, & abſit pudor, prudenter Romulus vidit. Cum itaque ſuos cives ſæpe convenire vellet religionis cauſa, & hos tamen cœtus congreſſusque virorum atque mulierum caſtos eſſe optaret, (ſicuti & caſte alia deinde lex juſſit adire ad Deos) noluit in templis locum eſſe latendi; ne tandem ea eſſent luſtra aut lupanaria magis quam templa. Junge his inſuper, quæ eodem fine apud M. Tullium, libro II de Legibus, adverſus *ſacra nocturna* & *nocturnas pervigilationes*, ductu antiquarum legum disputantur.

XVI. Legem vero ſuprà laudatam XII Tabularum, ceteraque Porcio commemorata inſtituta quod attinet, res ipſa loquitur, pertinere illa ad præcludendam viam illicitis factionibus atque machinationibus contra rempublicam. Quarum quidem, ob nocturnos ſuos conventus, calumnioſe & præter omne meritum inſimulatos fuiſſe priſcos illos CHRISTI cultores, multis oſtendit in ſuo Apologetico Tertullianus. *Inter licitas factiones*, ait cap. XXXVIII, *ſectam iſtam* (de Chriſtianis loquitur) *deputari oportebat; a qua nihil tale committitur, quale de illicitis factionibus timeri ſolet. Niſi fallor enim, prohibendarum factionum cauſa de providentia conſtat ac modeſtia publica, ne civitas in partes ſcinderetur: quæ res facile comitia, concilia, curias, conciones, ſpectacula etiam, æmulis ſtudiorum compulſationibus inquietaret, cum jam & in quæſtu habere cœpiſſent venalem & mercenariam homines violentiæ ſuæ operam. At enim nobis, ab omni gloriæ & dignitatis ardore frigentibus, nulla eſt neceſſitas cœtus, nec ulla magis res aliena quam publica.* Utque oſtenderet, quam procul abeſſent Chriſtiani, conventus ſuos agentes, a molitionibus contra Imperatorem

& rem-

„ & rempublicam, ſubdit cap. xxxix: Coimus in cœtum „ & congregationem, ut ad Deum, quaſi manu facta „ precationibus, ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata „ eſt. Oramus etiam pro Imperatoribus, pro miniſtris „ eorum & poteſtatibus, pro ſtatu ſeculi, pro rerum quie„ te (hanc in rem plura vide infra cap. xix. 9.) Hæc coitio „ Chriſtianorum merito ſane illicita, ſi illicitis par; me„ rito damnanda, ſi quis de ea queritur eo titulo, quod „ de factionibus querela eſt. In cujus perniciem aliquan„ do convenimus? Hoc ſumus congregati, quod & di„ ſperſi; hoc univerſi, quod & ſinguli: neminem læden„ tes, neminem contriſtantes. Cum probi, cum boni „ coeunt, cum pii, cum caſti congregantur, non eſt fa„ ctio dicenda, ſed curia.

xvii. Ubi, dum ait Septimius, quando conventus ſuos celebraverint Chriſtiani, congregatos fuiſſe *caſtos*, etiam illi occurrit criminationi, qua traducebantur fideles, ac ſi nefandis ſeſe libidinibus in nocturnis iſtis congregationibus polluerent. De quo portentoſo mendacio infra cap. xiix ex inſtituto agimus. Et ſane tantum abeſt, ut in finem adeo abominandum cœtus ſuos coegerint Christi ſervi, ut ipſe potius Plinius, homo ethnicus, ad Trajanum Cæſarem aperte ſcribat, epiſt. xcvii lib. x, ſe ex habita accuratiſſima de Chriſtianis inquiſitione didiciſſe, quod ſoliti eſſent in ſuis illis congreſſibus ſacramento ſe obſtringere, *ne adulteria* ſimiliave ſcelera *committerent*. Ad quod Plinii teſtimonium provocans Oroſius lib. vii, cap. xii, Trajanum Plinii Secundi relatu admonitum ait, Chriſtianos, *præter confeſſionem Chriſti*, HONESTAQUE CONVENTICULA, *nihil contrarium Romanis legibus facere*. Sic

 Arno-

Arnobius, ſub finem libri IV, de fidelium conventiculis affirmat, quod in iis *aliud audiatur nihil, niſi quod humanos faciat, niſi quod mites, VERECUNDOS, PUDICOS, CASTOS.* Similiter Octavius apud Minutium, *Convivia,* inquit, *non tantum PUDICA colimus, ſed & ſobria; —— CASTO SERMONE, CORPORE CASTIORE.* Unde etiam, poſtquam progreſſu temporis vigiliarum prætextu illicita quædam perpetrari ab hypocritis animadverſum eſt, penitus illæ fuerunt ſublatæ. Quo facit antiquiſſimi illius Concilii Illiberitani (Elibertinum vulgo vocant) canon XXXV: *Placuit probiberi, ne fœminæ in cœmeterio pervigilent; eo quod ſæpe ſub obtentu orationis ſcelera latenter committant.*

CAPUT XVII.

DE SACRIS CHRISTIANORUM CLANDESTINIS.

INter ſuſpiciones, quæ ex *ſecretioribus* Chriſtianorum *conventiculis* (uti apud Auguſtinum, epiſt. XLIV, audiunt) gentilibus naſcebantur; etiam hæc ipſa erat, quod ſacrorum ſuorum eos puderet, indeque, ne publice illa innoteſcerent, quibuscunque modis cavendum ſibi arbitrarentur. Nimirum ille, apud Minutium Felicem, ſycophanta maledicus, Cæcilius Natalis, poſtquam de adoratione capitis aſinini, genitaliūq; Sacerdotalium veneratione recitaſſet calumnias, *neſcio,* ſubjungit, *an falſa, certe occultis & nocturnis ſacris appoſita ſuſpicio.* & mox, ubi præterea de Thyeſteis epulis concubituque Oedipodeo com-

convitiorum plauſtra in Chriſtianorum capita exoneraſſet, *Hac*, inquit, *aut omnia, aut pleraque omnium, vera declarat ipſius prava religionis obſcuritas. Cur etenim occultare & abſcondere, quidquid illud colunt, magnopere nituntur? cum honeſta ſemper publico gaudeant, ſcelera ſecreta ſint. Cur nullas aras habent, templa nulla, nulla nota ſimulacra? nunquam palam loqui, nunquam libere congregari? niſi illud, quod colunt & interprimunt, aut puniendum eſt, aut pudendum?* Similiter Maximus Madaurenſis, Paganus Philoſophus, in ſua ad S. Auguſtinum epiſtola (extat ea inter Auguſtinianas num. XLIII) Chriſtianis objicere non veretur, quod in abdito DEUM ſuum colant, nec, uti quidem gentiles, ſacrorum ſuorum peractionem ab omnibus videri permittant. Ita namque venerabilem alloquitur Antiſtitem: *Illud quaeſo, vir ſapientiſſime, uti, remoto facundiæ robore atque exploſo, quo cunctis clarus es, omiſſis etiam, quibus pugnare ſolebas, Chryſippeis argumentis, poſtpoſita paululum Dialectica, quæ nervorum ſuorum luctamine nihil certi cuiquam relinquere nititur, ipſa re approbes, quis ſit iſte DEUS, quem vobis Chriſtiani quaſi proprium vendicatis, & in locis abditis præſentem vos videre componitis. Nos etenim Deos noſtros luce palam ante oculos omnium atque aures omnium mortalium piis precibus adoramus, & per ſuaves hoſtias propitios nobis efficimus, & a cunctis hæc cerni & probari contendimus.*

II. Quia vero Auguſtini ævo florentiſſimæ erant ampliſſimæque per orbem Eccleſiæ, nec in publica & aperta luce ſuos celebrare conventus prohibebātur CHRISTI cultores; imo in ipſo illo Africæ oppido, quod Maximus incolebat, Chriſtianorum Catholicorum eccleſiam fuiſſe conſtitutam, Auguſtinus, epiſtola XLIV, qua homini

ethnico reſcribit, diſerte teſtatur; per *locos abditos* dubio procul non intelligit heic idololatra cryptas & cavernas, in quibus congregari ſolebant, urgente perſecutionum æſtu, fideles: ſed videtur potius reſpicere ad morem veterum Chriſtianorum, quo, ne gentilibus, aliisque ἀμυήτοις, ſive ſacro lavacro nondum tinctis, innoteſcerent tremenda religionis noſtræ myſteria, Baptiſmi præſertim & Euchariſtiæ ſacramenta, ſolicite cavebant: adeo ut Palladius, in vita Chryſoſtomi, pro grandi ſcelere narret, quod ejus inimici, facta in eccleſiam irruptione, non initiatos ſpectare fecerint quæ ipſos intueri nefas erat, (quo de ipſe etiam Chryſoſtomus in epiſtola ad Innocentium Romanum: ἔνθα τὰ ἅγια ἀπέκειντο εἰσελθόντες οἱ στρατιῶται, ὧν ἔνιοι, καθ᾽ ὡς ἔγνωμεν, ἀμύητοι ἦσαν, πάντα τε ἑώρων τὰ ἔνδον) ac Epiphanius, hæreſ. XLII, inter alia decumana Marcionitarum abſurda & hoc referat, quod myſteria celebrare auſi ſint præſentibus Catechumenis. Quomodo item Tertullianus, libro de Præſcriptionibus cap. XLI, hæreticis in genere objicit, quod apud eos, *quis Catechumenus, quis Fidelis, incertum*: etenim, inquit, *pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant; etiam Ethnici ſi ſupervenerint, ſanctum canibus, & porcis margaritas, licet non veras, jactabunt*. Nempe hoc eſt quod ait Auguſtinus in Pſalm. CIII: *Opera noſtra bona vident & Pagani; Sacramenta vero occultantur illis*. Et de Catechumenis notum, quod abire juſſi ſint, quando Euchariſtiam Eccleſia erat celebratura. Clamabat quippe tunc Diaconus: *Quicunque Catechumeni, recedite! Nullus Catechumenorum, ſed ſoli fideles remaneant*. Videlicet τοὺς πιστοὺς, ſive fideles (ut id obiter addamus) non modo idolorum cultoribus opponebant, ſed etiam Catechu-

Gentilib⁹ & Catechumenis olim non licebat intereſſe Sacramentorum adminiſtrationi.

Vide Iſidor. lib. 6. Orig. cap. 19.

techumenis. Quod clare docet Cyrillus Ieroſolymitanus Catecheſi I, περὶ τούτου, inquiens, κατηχούμενος ἦς, νῦν δὲ πιστὸς κληθήσῃ. qui &, Catecheſi V, magnam ait dignitatem acceſſiſſe ἀπὸ τοῦ κατηχουμένων τάγματος εἰς τὸ τῶν πιστῶν μετατεθειμένοις. *Fideles, quinam dicantur.*

III. Imo non ſolum ab intuitu myſteriorum τοὺς ἀμυήτους arcebant veteres, ſed &, propter eoſdem, in concionibus non niſi obſcuram illorum & mere ænigmaticam faciebant mentionem, ſi quando faciebant; puta quod cenſerent, μηδὲ ἔκφορα τοῖς ἔξω τὰ πολλὰ τῶν ἡμετέρων μυστηρίων εἶναι, ceu loquitur oratione XLII (cum qua compone XL & XLVI) Gregorius Nazianzenus; quodque, etiam in ſermone οὐ θέμις ἐπὶ τῶν ἀμυήτων ἐκκαλύπτεσθαι ἅπαντα, uti homil. XIIX in II ad Corinthios S. ait Chryſoſtomus. Qui & hinc in I. ad Corinthios homil. XL, *Cupio quidem*, inquit, *perſpicue rem dicere; ſed propter non initiatos non audeo. Hi interpretationem nobis reddunt difficiliorem; dum nos cogunt, aut perſpicue non dicere, aut arcana quæ taceri debent* (τὰ ἀπόρρητα) *apud ipſos efferre*; atque mox dicturum ſe ait συνεσκιασμένως, *adumbratim* vel *ſubobſcure.* Similiter Cyrillus, Catecheſi VI: *De myſteriis, præſentes ſi ſint Catechumeni, clare non loquimur; ſed ſæpe multa dicimus tecte* (ἐπικεκαλυμμένως) *ut, qui norunt, fideles intelligant.* Obſcuræ hujuſmodi perplexæque periphraſeos exemplum habemus luculentum apud Theodoretum dialogo II. Quærit nempe ibi Eraniſtes Eutychianus: *Quî appellas donum quod offertur*, puta in ſacra ſynaxi, *ante invocationem Sacerdotis?* reſpondet Orthodoxus: *Non oportet aperte dicere: eſt enim veriſimile, adeſſe aliquos myſteriis non initiatos.* Mox Eraniſtes, *Reſpondeatur*, inquit, *ænigmatice:*

Veteres in concionibus ſuis non niſi obſcuram faciebant myſteriorum mentionem.

tice. Ibi vero Orthodoxus Panem appellat τὴν ἐκ τοιῶνδε σπερμάτων τροφὴν, *alimentum e talibus ſeminibus*; Vinum autem ſic circumloquitur: κοινὸν καὶ τȣ̃το ὄνομα, πόματος εἶδος σημαῖνον, *Commune hoc quoque nomen, potionis ſpeciem ſignificans.* Pari ratione Epiphanius in Ancorato, recitaturus inſtitutionis formulam, ἔλαβε τάδε, ait, καὶ εὐχαριστήσας εἶπε· τȣ̃τό μȣ ἐστι τόδε, *Accepit illa, &, poſtquam egiſſet, dixit: hoc meum eſt illud.* & mox: ἠθέλησε χάριτι εἰπεῖν· τȣ̃τό μȣ ἐστὶ τόδε, *Voluit per gratiam dicere: hoc meum eſt illud.* Et iſtiusmodi ænigmaticis remotiſque a communi intelligentia dictionibus & loquendi generibus dum utebantur veteres, vel alia quacunq; ratione tectam obſcuramque myſteriorum mentionem faciebant, his ac ſimilibus uti ſolebant formulis: ἴσασιν οἱ μεμυημένοι, ἴσασιν οἱ μυσταγωγȣ́μενοι, *norunt initiati*, (puta, quid ſibi velint quæ dicuntur) Chryſoſtomus homil. LXXII in Matthæum, & homil. LXXXV in Johannem: ἴσασιν οἱ μύσται τὸ λεγόμενον, *ſciunt initiati quid dicatur*, Iſidorus Peluſiota lib. IV, ep. CLXII, & οἱ συμμύσται, Chryſoſtomus homil. XV in Johannem: ἴσασιν οἱ πιστοὶ τὸ λεγόμενον, *ſciunt fideles quid dicam*, idem comment. in Pſ. CXL: οἱ μεμυημένοι παρακολȣθείσαν τοῖς λεγομένοις, *qui ſunt initiati, advertant animum ad ea quæ dicuntur*, idem ibidem homil. XLVI: *fidelibus loquor*, Auguſtinus in Pſ. CIX; *Sacramentũ quod norunt fideles*, idem lib. X de Civ. Dei cap VI, alibique paſſim. Si quis vero imprudentius de Eccleſiæ arcanis aliquid effutiiſſet, magni id criminis loco habebatur. Unde Athanaſius, Apologia II, graviſſime ſuos accuſat inimicos, quod de ſacræ cœnæ myſterio coram Catechumenis, imo Græcis quoque & ethnicis, verba facere non fuerint verecundati.

IV, Cau-

IV. Cauſam hujus μυστηριοκρύψεως præcipuam exponens Synodus Alexandrina, in epiſtola ad omnes Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopos, quæ ab Athanaſio Apologia II producitur, οὐ χρὴ, inquit, τὰ μυστήρια ἀμυήτοις τραγῳδεῖν, ἵνα μὴ ἕλληνες μὲν ἀγνοοῦντες γελῶσι, κατηχούμενοι δὲ περίεργοι γενόμενοι σκανδαλίζωνται, *Minime fas eſt myſteria non initiatis prodere, ne gentes ex imperitia derideant, Catechumeni vero ex curioſitate ſcandalum patiantur.* Eadem fuſius perſequitur Cyrillus Ieroſolymitanus. Et quidem in ipſius Pro-
„ catecheſi iſta leguntur: Quum Catecheſis recitatur, ſi
„ Catechumenus ex te quæſierit: quid dicebant Docto-
„ res? nihil dicas externo. Myſteria enim tibi, & ſpem
„ futuri ſeculi tradimus. Cuſtodi hoc myſterium retri-
„ butori, nec unquam dicentem aliquem audi: quid
„ obeſt, ſi & ego didicero? Etiam ægroti vinum quando-
„ que poſtulant; quod, ſi intempeſtive illis detur, phre-
„ neſin conciliat: & duo hinc naſcuntur mala: nam æger
„ interit, & Medicus male audit. Sic & Catechumenus,
„ ſi audiat myſteria a fideli, phreneſin patitur: neſcit e-
„ nim quid audiverit, & tamen arguit rem ignotam, &
„ dicta irridet: fidelis vero tanquam proditor conde-
„ mnatur. Jam ergo tu in finibus noſtris conſtitutus, ca-
„ ve ne quid effutias: non quod digna non ſint narratio-
„ ne ea quæ ibi dicuntur; ſed quod indignus eſt ille au-
„ dire cui refers. Ipſa vero Catecheſi VI hæc habet: Ec-
„ cleſia nunc myſteria enarrat ei qui ex Catechumenis e-
„ greditur. Non eſt moris ea ethnicis exponere. Ethnico
„ enim myſteria de Patre, & Filio, & ſancto Spiritu, non
„ enarramus; neque de myſteriis apud Catechumenos
„ palam verba facimus: ſed multa ſæpe occulte loqui-

 mur.

„ mur, ut fideles, qui norunt, intelligant, & non lædan-
„ tur qui non norunt. Similiter Cyrillus Alexandrinus, libro VII contra Julianum, ubi de Baptiſmo agit, *Dicerem ſane de his*, inquit, *etiam multa alia, & vera, demonſtrans, per Moſen & Prophetas præfiguratum eſſe hoc ſacramentum, & non novum, vel nuper ortum, & a nobis inventum: niſi revererer non initiatorum aures. Solent minus comprehenſibilia a plerisque rideri, quod præ imbecillitate mentis ſuæ non vident, & omnino nihili faciunt, quæ omni admiratione proſequi decebat.* Et certe, quomodo ſalutare illud Baptiſmi ſacramentum profanæ gẽtes riſerint, indicat in ſua Procatecheſi Cyrillus ille alter, dum ait, Paganos, ſi incidiſſent in hominẽ qui ſacro hoc eſſet lavacro tingendus, ſubſannantes dixiſſe: *Ingredere aquam, ut ſubmergaris. Numquid enim adhuc civitas balnea non habet?* Sed & in alia fidei noſtræ myſteria pari ratione ſcommata ſua ethnicos projeciſſe, jam ſupra cap. XI notavimus.

V. Ad hanc itaque ſacrorum occultationem (ut ad ſuperiora revertamur) digitum videtur intendere Philoſophus, de quo num. II dictum, Madaurenſis. Quod enim Chriſtianis tribuit, quaſi *in locis abditis* Deum ſuum *præſentem* ſe *videre componant* ſive fingant, quidni de Euchariſtiæ ſacramento capiendum? cujus celebrandi rationem cum ignoraret homo Paganus, ut eam ſibi, miſſis ambagibus, explicare vellet, tanta contentione ab Auguſtino petit; etiamſi, velut ex hujus reſponſo liquet, omnino fruſtra. Nempe animadvertebat vir prudentiſſimus, Maximum iſtunc ex eorum eſſe ordine, de quibus Lanctantius, libro VII Divin. Inſtit. cap. XXVI, ait, quod Chriſtianorum ſapientiã *tanquam ſtultitiam vanitatemq;*

derideant, &c, *non diſcendi, ſed arguendi atque illudendi gratia, inclementer* DEUM *ac religionem ejus impugnent.* At fortaſſe præſtat ipſum Lactantii locum dare integrum, præſertim cum omnino faciat ad illuſtrandam materiam de qua nunc agimus. Sic igitur habet: „Hæc eſt doctrina ſanctorum Prophetarum, quam Chriſtiani ſequimur: „hæc noſtra ſapientia. Quam iſti, qui vel fragilia colunt, vel inanem Philoſophiam tuentur, tanquam ſtultitiam vanitatemque derident; quia non defendere „hanc publice atque aſſerere nos ſolemus, Deo jubente, „ut quieti ac ſilentes arcanum ejus in abdito atque intra „noſtram conſcientiam teneamus, nec adverſus iſtos „vere profanos qui non diſcendi, ſed arguendi atque illudendi gratia, inclementer DEUM ac religionem ejus „impugnant, pertinaci contentione certemus. Abſcondi enim tegique myſterium quam fideliſſime oportet, maxime a nobis, qui nomen fidei gerimus. Verum illi hanc taciturnitatem noſtram, veluti malam „conſcientiam, criminantur. unde etiam quasdam execrabiles opiniones de pudicis & innocentibus fingunt, „& libenter his, quæ finxerunt, credunt. Fuiſſe vero ex eorum numero, quos ita Firmianus depingit, Maximum etiam hunc Madaurenſem, ipſe literarum ſtylus clamat, neque diſſimulat in ſua reſponſione Auguſtinus. Ita namque illam orditur: *Seriumne aliquid inter nos agimus, an jocari libet? Nam ſicut tua epiſtola loquitur, utrum cauſa ipſius infirmitate, an morum tuorum comitate ſit factum, ut malles eſſe facetior quam paratior, incertum habeo.* & paulo poſt homini objicit, quod *jocari potius quam ſerio agere maluerit*: objicit eidem *ſacrilegas facetias, feſtivas contume-*

 me-

meliat, ſacrilega convitia: tandemque deſinit in hæc verba: *Differentur iſta latius, ipſo vero & uno Deo adjuvante, cum te graviter agere velle cognovero.*

VI. Sic igitur Maximum dimittit Auguſtinus: & ad exprobrationē, quod Chriſtiani clanculum ſacra ſua peragerent, nihil aliud reſpondet, quam, idem etiam ab ipſis fieri gentilibus. *Quod dicis, ait, a noſtris veſtra ſacra proponi, quod vos publice colitis Deos, nos autem ſecretioribus conventiculis utimur; illud abs te quæro, quomodo oblitus ſis Liberum illum, quem paucorum ſacratorum oculis committendum putatis?* Sic quoque Tertullianus, in Apologetico cap. VII monet, quod, ex mente Paganorum, *omnibus myſteriis ſilentii fides debeatur*; moxque Samothracia & Eleuſinia in exempla producit, ſubjungens præterea, quod *ſemper piæ initiationes* (ita Heraldus legit, cumque eo viri docti alii) *arceant profanos, & arbitris caveant.* Ad quem locum vide quæ obſervat Jo. Lud. de la Cerda, hujusque præterea notas conſule ad iſta Virgiliana, Æneid. VI, 258.

—— —— *Procul, o procul eſte profani!*

conclamat Vates, totoque abſiſtite luco! Præcipue vero legenda, quæ in hanc rem eruditiſſime differit, more ſuo, Iſ. Caſaubonus, exercitat. anti-Baron. XVI, 43. Denique nec illud heic prætermittendum, quod, cum impius quoque Celſus ludibrii cauſa Chriſtianam religionem ſubinde vocaret κρύφιον δόγμα, *doctrinam clandeſtinam*, Origenes, libro I contra ipſum, triplici ratione calumniam iſtam diluat. Nempe primo oſtendit, falſum eſſe, capita Chriſtianiſmi omnia occultari: plurima enim, interque hæc ſumma illa myſteria de CHRISTI e virgine nativitate, ejusdem paſſione & reſurrectione, ſupremo ju-

judicio, mortuorum reſuſcitatione, palam tradi omnibuſque exponi. Deinde ait, ſi maxime quædam non paſſim omnibus communicentur, eo tamen nomine non magis reprehendi Chriſtianos poſſe a gentilibus, quam ſuos ipſi Philoſophos reprehendant, diſciplinam ſuam dividere ſolitos in *ἐξωτερικά*, quæ omnibus, & *ἐσωτερικά*, quæ non niſi interioris admiſſionis paterent diſcipulis. Tandem & illud urget, cum aliis Doctoribus priſcis, quod, etiamſi apud Græcos pariter & barbaros myſteria occultentur, nemo tamen idcirco convitiis eos ſit inſectatus: unde injuſtum, ſolos Chriſtianos ob ſacra clandeſtina male audire.

Caput XIIX.

De Thyesteis Epulis et Oedipodeo Concubitu.

Pergimus nunc ad nefanda illa duo ſcelera, quibus præcipue infamabantur hominumque odio exponebantur Chriſtiani. Erant illa Thyeſteæ epulæ & Oedipodei inceſtus: de quibus paſſim ii, qui Apologiis ſuis cauſam Chriſtianorum in primitiva Eccleſia egerunt. Sic Athenagoras, oratione pro Chriſtianis, *Epulas deteſtandas*, inquit, *& concubitus inceſtos fingere de nobis audent* gentiles, *partim, ne temere nobis infenſi videantur; partim, quod ita exiſtiment vel nos metu perculſos a noſtra profeſſione abduci, vel Principum animos, propter flagitiorum magnitudinem, adverſus nos concitari & exaſperari poſſe.* Theophilus Antiochenus lib. III ad Autolycum: *Ajunt, noſtras*

 axo-

uxores eſſe communes, & promiſcuo concubitu nos uti criminantur. His accedit, quod crimini nobis vertunt, quaſi nec a propriis ſororibus nobis temperemus, verum & has inceſta libidine temerario auſu violemus. Iſtud præterea & ſumme impium & crudeliſſimum eſt, quod nobis intentant, crimen, dum humanis nos carnibus veſci ajunt. Tertullianus Apolog. cap. VII: *Dicimur ſceleratiſſimi de ſacramento infanticidii, & pabulo inde, & poſt convivium inceſto, quod everſores luminum canes, lenones ſcilicet, tenebrarum & libidinum impiarum inverecundia procurent. Dicimur tamen ſemper, nec vos, quod tamdiu dicimur, eruere curatis.* Confer ejusdem Apologetici cap. II, & lib. I ad Nationes cap. VII, XV, XVI; ubi, acturus de abominando concubitu, *Ventum eſt*, ait, *ad horam lucernarum, & caninum miniſterium, & ingenium tenebrarum.* Latius hæc exponit Cæcilius apud Minutium Felicem. „De initiandis tirunculis, ait, fabula tam deteſtanda quam „nota eſt. Infans farre contectus, ut decipiat incautos, „apponitur ei qui ſacris imbuatur. Is infans a tirunculo „farris ſuperficie quaſi ad innoxios ictus provocato, cœ„cis occultisque vulneribus occiditur. Hujus, proh ne„fas! ſitienter ſanguinem lambunt; hujus certatim „membra diſpertiunt; hac fœderantur hoſtia; hac con„ſcientia ſceleris ad ſilentium mutuum pignerantur. Hæc „ſacra ſacrilegiis omnibus tetriora. Et de convivio no„tum eſt, paſſim omnes loquuntur. Id etiam Cirtenſis „noſtri teſtatur oratio. Ad epulas ſolenni die coeunt, „cum omnibus liberis, ſororibus, matribus, ſexus omnis „homines & omnis ætatis. Illic poſt multas epulas, ubi „convivium caluit, & inceſtæ libidinis fervor ebrietate „exarſit, canis, qui candelabro nexus eſt, jactu offulæ ul-

tra

„tra ſpatium lineæ, qua vinctus eſt, ad impetum & ſaltum „provocatur. Sic everſo & extincto conſcio lumine, „impudentibus tenebris nexus infandæ cupiditatis in„volvunt per incertum ſortis, &, ſi non omnes opera, „conſcientia tamen pariter inceſti: quoniam voto uni„verſorum appetitur, quidquid accidere poteſt in actu ſingulorum. Adde, quæ habent Juſtinus Martyr in dialogo cum Tryphone Judæo, & in utraque Apologia pro Chriſtianis, Origenes lib. VI contra Celſum, (ubi a Judæis has in Chriſtianos calumnias ſub ipſa Eccleſiæ primordia fuiſſe ſparſas ait) Salvianus lib. IV de Providentia Dei, Lactantius lib. VII, cap. XXVII, Chriſtiani Lugdunenſes ac Viennenſes in ſua ad fideles Aſiam ac Phrygiam incolentes epiſtola, quæ extat apud Euſebium ſub initium libri V Hiſtoriæ eccleſiaſticæ. Junge item Euſebium ipſum libro IX, cap. V, ubi de quodam caſtrorum Præfecto ſive Duce refert, quod *Damaſci Phœniciæ infames quasdam mulierculas e foro rapuerit, ac tormentorum minis eo adegerit, ut tradito ſcripto dicerent, ſe fuiſſe aliquando Chriſtianas, & conſcias eſſe ſceleſtarum ac laſciviarum actionũ, quas Chriſtiani Dominicis diebꝰ inter ſe perpetrent; & quæ alia,* inquit, *ad calumniandũ religionem noſtram ab illis dici volebat: quarum etiam verba in acta relata Imperatori communicavit, qui illa quoque paſſim quovis loco per ſingulas civitates publicari præcepit.* Sed & vide ejusdem Euſebii lib. IV, cap. VII, ubi docet, calumniis iſtis feneſtram aperuiſſe Carpocratem & Gnoſticos, hæreſium ac impietatum a Simone Mago ante ſparſarum pro„pagatores. Contigit, ait, ut diabolus, qui malis de„lectatur, opera eorum (hæreticorum) uteretur, ut, qui „fidem receperant, illorum ſuaſu non ſolum in frau-

dem

„ dem inducti, ad acerbum adeo & miſerabilem interi-
„ tum quaſi conſtricti abriperentur; verum etiam genti-
„ libus anſam præberent ſacroſancto Dei verbo petulan-
„ ter impieque obtrectandi, eo plane conſilio, ut, fama
„ de iſtorum flagitioſa vita diſſipata, turpem ignominiæ
„ notam univerſæ Chriſtianorum multitudini inurerent.
„ Unde certe accidit, ut nefaria quædam opinio de nobis
„ concitata, eaque ab omni ratione alieniſſima, per infi-
„ delium animos longe lateque pervaderet, quod videli-
„ cet tum nefando concubitu matres & ſorores violare,
„ tum etiam ſcelerato quodam alimenti genere uti non
„ vereremur.

11. Sane, hæreticos occaſionem dediſſe ethnicis, ut veris Chriſtianis infenſi eſſent, etiam vetuſtiſſimus ſcriptor Irenæus teſtatur, qui de Carpocratianis verba faciens, lib. 1 adverſus hæreſes, cap. XXIV, *Et ipſi*, inquit, *ad detrectationem divini nominis & Eccleſiæ, quemadmodum & gentes, a Satana præmiſſi ſunt, uti ſecundum alium modum, quæ ſunt illorum, audientes homines, & putantes omnes nos tales eſſe, avertant aures ſuas a præconio veritatis: aut, ut videntes quæ ſunt illorum, omnes nos blaſphement; in nullo eis communicantes, neque in doctrina, neque in moribus, neque in quotidiana converſatione.* Simili modo Epiphanius, hæreſi XXVII de Gnoſticis: *Sunt ex Satana ſubornati ac producti in opprobrium ac ſcandalum Eccleſiæ Dei. Indiderunt enim ſibi ipſis cognomen Chriſtianorum, ad hoc, ut gentes per ipſos offendantur, & ſanctæ Eccleſiæ Dei utilitatem, & veram prædicationem, propter illorum nefaria facta & incomparabilem improbitatem, averſentur, & ut gentes, ipſorum aſſidue nefaria opera conſiderantes, putent, etiam ſanctas Dei Eccleſias tales eſſe; & avertant,*

velut

velut dixi, aures a Dei ac veritatis doctrina. Ita maledicum illum Celſum, quæ hæreticorum eſſent, Chriſtianis impudenter objeciſſe & imputaſſe, ex Origenis libro VI, quem magno huic calumniatori oppoſuit, novimus.

De veterum hæreticorum Thyeſteis ſacris inceſtoq; concubitu Patrum teſtimonia.

III. At preſſius aliquanto diſpiciendum, quænam illa ſint adeo nefanda hæreticorum facinora, unde anſam acceperint ethnici Thyeſteas epulas & Oedipodeos inceſtus Chriſtianis objiciendi. De Cataphrygibus & Pepuzianis Auguſtinus, libro de Hæreſibus ad Quotvuldeum, hæreſi XXVI, XXVII, *Sacramenta*, inquit, *perhibentur funeſta habere. Nam de infantis anniculi ſanguine, quem de toto ejus corpore minutis punctionum vulneribꝰ extorquent, quaſi Eucharistiā ſuam conficere perhibentur, miſcentes cū farina, panemq; inde facientes. Qui puer ſi mortuus fuerit, habetur apud eos pro martyre; ſi autem vixerit, pro magno Sacerdote.* Ante Auguſtinum Philaſtrius, hæreſi XLIX, de Cataphrygibus ſcripſerat: *Dicunt eos de infantis ſanguine in Paſchate miſcere in ſuum ſacrificium.* Epiphanius hæreſi XLIIX: *In hæreſi Quintillianorum, ſive Priſcillianorum, & Pepuzianorum, horrendum ac nefarium quoddam opus fieri dicunt. Puerum enim quendam valde infantem in feſtivitate quadam per totum corpus æreis aciculis compungentes, ſanguinem ipſius ſibiipſis comparant, ad apparatum videlicet ſacrificii.* Idem Epiphanius, hæreſi XXVI, de Gnoſticis: *Detractum fœtum, quocunque tandem tempore id aggreſſi fuerint, accipiunt, & in mortario quodam piſtillo tundunt, &, admixto melle ac pipere, & aliis quibusdam aromatis ac unguentis, ad avertendam nauſeam, ſic congregati omnes porcorum ac canum horum ſodales participes fiunt contuſi pueri; atque ſic, humanæ carnis eſu peracto, deinceps preces fundunt ad Deum.* Paulo ante dixerat: *Ipſam ſuam ſynaxin ac communi-*

munionem turpitudine multiplicis coitus polluunt, comedentes ac contingentes tum humanas carnes, tum immunditias. Nonnullis interjectis pergit: *Larga & opipera edulia, carnis eſum & vini potum, apponunt, etiamſi pauperes fuerint. Ex hoc autem ubi compotarunt, & venas, ut ita dicam, ſatietate impleverunt, ad æſtrum ſe convertunt. Et vir quidem concedens uxorem alteri, ad ipſam dicit: Surge, fac dilectionem cum fratre.* De Florianis ſive Carpocratianis iterum Philaſtrius, hæreſi LVII, tradit, quod *in eccleſia ſua poſt occaſum Solis, lucernis extinctis, miſceri cum mulierculis non dubitaverint, legis præceptum implere putantes: Naſcimini & multiplicamini; Judaiſmo potius & Paganitati parere nefanda, quam Chriſtianæ veritati acquieſcere properantes, pecudumque vitam potius & amentiam detinentes.* Eadem de illis diu ante retulit Clemens Alexandrinus, lib. III Stromatum, cap. I. Nam recenſitis Carpocratianorum dogmatibus, ſubjicit: *Hos dicunt, & aliquot alios ſimilium malorum* (τῶν ὁμοίων κακῶν, eſt in Græco: pro quo Sylburgius mallet κακιῶν, *improbitatum*) *æmulatores, ad cœnas convenientes* (*neque enim dixerim Agapen eorum congresſionem,*) *viros ſimul & mulieres, poſtquam, ſatietate Venerem excitante* (πλησμονῇ τῇ κακπιώσῃ, ut Heinſius emendat) *exſatiati fuerint, lumine amoto, quod eorum fornicatoriam hanc juſtitiam pudore afficiebat, averſa lucerna coire quomodo velint, & cum quibus velint: meditatos autem in ejusmodi Agape communionem, interdiu jam, a quibus velint mulieribus exigere Carpocrateæ* (*divina enim nefas eſt dicere*) *legis obedientiam.* Vocat *Carpocrateam legem*, ſicut Theodoretus lib. I hæreticarum fabularum, cap. de Carpocrate, *legem impudicitiæ.* Qui tamen paulo poſt, cap. de Prodico, non ipſum Carpocratem, ſed diſcipulum ejus Prodicum, cujus

ſectatores ſe falſo nomine Gnoſticos appellare ait, peſſimæ conſuetudinis, quam e Philaſtrio & Clemente recenſuimus, auctorem facit, ipſo etiam Clemente in hanc rem laudato. Verba ejus: *Epiphanem*, (is Carpocratis filius fuit) *ſecutus Prodicus, eorum, qui Adamitæ dicuntur, hæreſin conſtituit. Is aperte & palam ſcortari, adjecit decretis Carpocratis. Mulieres enim eſſe communes conſtituit. Quamobrem non ſolum in conviviis publicis, candelæ lumine e medio ſublato* (ſic enim vertendum erat, quod in Græco legitur, τὸ λυχνιαῖον φῶς ἐκποδὼν ποιȣ́μενοι) *in quamcunque inciderat, cum ea unusquisque coibat; ſed etiam myſtica initia ejusmodi incontinentiam exiſtimabant. Atque hujus quidem teſtem etiam Stromateum Clementem producam.*

IV. Ex his infandis hæreticorum facinoribus natæ creduntur iſtæ adverſus Chriſtianos veteres calumniæ, de quibus ſupra dicebamus. Sed enim, ſi dixerimus, quæ ad eum modum memoratis illis hæreticis tribuuntur, non usque adeo certa videri, quin de iis dubitare liceat, nihil forte abſurdi deſignaverimus. Cur ita ſentiam, dicam paucis, judicio interim ac deciſioni doctiorum rem omnem committens. *Quid de iis habendum.*

V. Primo itaque notum, antiquis illis ſcriptoribus, qui pro Chriſtianis Apologetica ediderunt, in more poſitum eſſe, ut, quoties flagitii alicujus rei aguntur fideles, ad quod ipſis impingendum anſam dedere hæretici, moneant, eſſe quidem nonnullos, qui ejusmodi ſe ſceleribus contaminent; ſed illos non niſi nomen cum veris Chriſtianis commune habere, nec pro fratribus ab iis ullo modo agnoſci; quin potius pro diaboli organis & mancipiis haberi. Fac itaque, fuiſſe in primitiva Eccleſia hæreti-

reticos, qui talia patraverint, qualia Chriſtianis fuiſſe ab ethnicis objecta ſupra audivimus, quid cauſæ, quod ex omnibus, qui Chriſtianorum tunc ſuſcepere patrocinium, nec unus inveniatur, qui ejusmodi ſcelera in hæreticos transferre auſus ſit? Nemo ſane commodius id præſtitiſſet, quam Juſtinus Martyr in Apologia ad Antoninum Pium, ubi exprobrat Paganis, quod genuinos CHRISTI ſervos perſecutionibus vexent, Simonem vero Magum, ejusque aſſeclas & diſcipulos, qui nominetenus Chriſtiani ſint, non tantum non perſecuti fuerint aut perſequantur, ſed honoribus etiam afficiant; cum tamen impia & blaſphema eorum dogmata ſint in propatulo. Heic, inquam, Juſtinus, ſi credidiſſet, hæreticos ex Simonis ſchola oriundos, ſcelerum, quorum poſtulantur a ſequentium temporum ſcriptoribus, fuiſſe reos, oportune urgere potuiſſet, ferrum & flãmas, quibus ſubinde vexabãtur Chriſtiani, in hæreticos iſtos potius convertenda eſſe, ut qui revera talia deſignarent, qualia γνησίοις CHRISTI cultoribus & confeſſoribus affingerentur. Verum enimvero, licet alias eorum impietates & abſurditates in ſcenam producat Juſtinus, tantum tamen abeſt, ut Thyeſteæ cœnæ & Oedipodei concubitus ipſos inſimulet, ut potius conceptis verbis profiteatur, an infamia illa & fabuloſis in vulgus ſparſa ſermonibus facinora committant hæretici illi, lucernæ videlicet everſionem, & promiſcuos concubitus, & humanarum carnium vorationem, ſe neſcire. Etiam ceteri Apologetæ, dum calumniam de infanticidio a Chriſtianis amoliri ſatagunt, ita ſe gerunt, ut non obſcure prodant, ſibi de hæreticis ſui temporis, qui tale facinus admiſerint, nihil quicquam

inno-

innotuiſſe. Apud Minutium Felicem Octavius Chriſtianus Cæcilium ethnicum ita alloquitur: *Putas, poſſe fieri, ut tam molle, tam parvulum corpus, fata vulnerum capiat? ut quisquam illum rudem ſanguinem novelli, & vix dum hominis, cadat, fundat, exhauriat?* ubi, ecce, ἐκ τῶν ἀδυνάτων judicat Octavius, vel, qui hunc loquentem introducit, Minutius, tam immane facinus ab homine perpetrari. Qui vero dixiſſet id fieri non poſſe, quod ab hæreticis fieri ſciviſſet, aut fieri credidiſſet? Tertullianus, ubi ſupra, pro oſtendenda commenti vanitate hunc in modum diſſerit: Quis unquam taliter vagienti infanti ſupervenit? quis cruenta, ut invenerat, Cyclopum & Sirenarum ora judici reſervavit? quis vel in uxoribus aliqua immunda veſtigia deprehendit? quis talia facinora, cum inveniſſet, celavit, aut vendidit ipſos trahens homines? Si ſemper latemus, quando proditum eſt quod admittimus? imo a quibus prodi potuit? ab ipſis enim reis non utique; cum vel ex forma omnibus myſteriis ſilentii fides debeatur. Samothracia & Eleuſinia reticentur. Quanto magis talia; quæ prodita interim etiam humanam animadverſionem provocabunt, dum divina ſervantur. Si ergo non ipſi proditores ſui, ſequitur, ut extranei. Et unde extraneis notitia, cum ſemper etiam piæ initiationes arceant profanos, & arbitris caveant, niſi ſi impii minus metuunt? Natura famæ omnibus nota eſt. Veſtrum eſt: *Fama malum, qua non aliud velocius ullum.* Eadem & plura quoque in illam ſententiam idem habet libro 1 ad Nationes cap. VII. Quæ ſane non tantum manifeſtum faciunt, de nefandis iſtis hæreticorum epulis nihil ad aures Tertulli-

ani perveniſſe; ſed & argumentum ſuppeditant, quo, qui tale quid iis tribuunt, oppugnatum ire poſſis. Omnia enim quæ heic pro liberandis a tali ſuſpicione Chriſtianis urget Tertullianus, etiam pro purgandis ab eadem hæreticis militant.

v. Porro, ſi revera iſta ſcelera committere conſuevisſent hæretici veteres, qui id ignorare potuiſſent Eccleſiæ Lugdunenſis & Viennenſis? Atqui illæ in ſua, quam num. I citavimus, epiſtola, diſerte fatentur, ſe non credere, imo ne quidem credere ſibi fas eſſe, fuiſſe unquam ab hominibus perpetrata, qualia objiciebant vulgo Chriſtianis, & adverſus eosdem comminiſcebantur impii ipſorum ſervi. Loquuntur autem de ἀνθρωποφαγίᾳ & inceſto concubitu. Verba hæc ſunt: *Simul & ethnici quidam capti ſunt, noſtrorum ſervi, (Præſes enim nos omnes publice requiri juſſerat) qui, & inſidiis Satanæ victi, ac tormenta, quæ ſanctos ferre viderant, veriti, militibus etiam eos ad hoc inſtigantibus, commenti ſunt adverſum nos Thyeſtea convivia & Oedipideos inceſtꝰ, & quæ alia nobis nec loqui nec cogitare fas eſt, imo NE CREDERE QUIDEM, TALE QUID UNQUAM AB HOMINIBUS ESSE FACTUM.* Certe ſi vel maxime horrenda iſta facinora in hæreticis tegere voluiſſent fideles, quando cum gentilibus ipſis res erat, ne ſcilicet in Chriſtiani nominis (quod etiam hæretici ſibi ſumebant) probrum id cederet; quando tamen cum fratribus ſuis per literas communicarunt, nihil cauſæ fuit, cur aliquid heic diſſimulare voluerint. Si proinde quicquam de hæreticorum Thyeſteis conviviis & Oedipodeo inceſtu cognitum habuiſſent fideles in Gallia, nunquam ſcripturi fuiſſent ad Eccleſias per Aſiam & Phrygiam, ſe non credere, tale quid unquam ab hominibus eſſe perpetratum.

vi. Tan-

VI. Tandem & illud conſiderandum proponimus, quod nemo autorum paulo ante laudatorum, qui de infante, cujus ſanguis Euchariſtiæ adhibitus, memoriæ aliquid prodiderunt, aſſerere audeat, rem certo ſe ita habere, ut ille narraverit; ſed omnes ſic loquantur, ut haud obſcurum indicium faciant, ſe non niſi ex vulgari rumore accepiſſe, quæ hac de re ad poſteros tranſmiſerint. Id indicant voces: *perhibentur*; *dicunt*; quibus in ſua hiſtoria utuntur. Equidem Epiphanius hæreſi XXVI ſcribit, ſe partim ex ipſo Gnoſticorum ore, partim ex relatione virorum fide dignorum, partim ex libris didiciſſe, quæ de hæreſi iſta annotaverit: interim, quando de infante crebris punctionibus vexato agit, hæreſ. XLIIX, non aliter ac Philaſtrius & Auguſtinus loquitur, ſicut ex verbis ejus ſupra datis manifeſtum.

VII. Imo reperias e quarto quintoque ſeculo ſcriptores, eosque non pœnitendos, qui plane in dubium vocant, quod de nefandis, ſive Montaniſtarum, Cataphrygum, Pepuzianorum, ſive Carpocratianorum & Gnoſticorum, (nam utrisque tribuitur) cœnis narratur. Hieronymus enim, epiſtola LIV, ad Marcellam, contra Montanum ſcripta, cum ejus aſſeclarumque dogmata & ritus recenſuiſſet, addit: *Prætermitto ſcelerata myſteria, quæ dicuntur de latente puero & de victuro martyre confarrata. Malo, inquam, non credere: ſit falſum omne, quod ſanguinis eſt.* Similiter Theodoretus lib. III hæreticarum fabularum, cap. de Montaniſtis: *De myſteriis nonnulla quidem jactitant: ſed illi non fatentur, & ſui accuſationem calumniam appellant.* At maxime omnium huc facit auctor anonymus, annis abhinc aliquot a Jacobo Sirmondo editus, qui

qui paulo ante exortam Eutychis hæreſin, uti quidem editor exiſtimat, ex Higino quodam, Philaſtrio, Epiphanio, aliisque, ut titulus habet, epitomen de hæreſibus conſcripſit. Is cum hæreſi XXVI Cataphrygum originem, & dogmata breviter expoſuiſſet, ſubjicit: *Hactenus dixerim de Cataphrygis. Cetera quæ dicuntur, quaſi incerta prætereo: de infantis ſanguine eos accipere. Quod ideo dicimus, ne videamur ignorare omnia, quæ de eis dicuntur. Hi enim qui contra eos ſcripſerunt, nihil hinc penitus memorarunt. Scripſit contra eos librum ſanctus Soter, Papa urbis, & Apollonius, Epheſiorum Antiſtes. Contra quos ſcripſit Tertullianus, aſſerens, falſa eſſe de ſanguine infantis.* Scio, hæc non uno nomine falſitatis accuſari ab Avvræo, Doctore Sorbonico, in Cenſura Prædeſtinati cap. II; nec fortaſſis immerito. Id tamen efficere non poteſt, quo minus hinc colligamus, quinto a Chriſto nato ſeculo de ἀνθρωποφαγίᾳ Montaniſtarum ſive Gnoſticorum dubitatum fuiſſe. Ceterum, quod idem Avvræus negat, Montaniſtas criminis illius accerſitos eſſe, verum eſt, ſi de Juſtini Martyris ævo, quem laudat, accipias; non item, ſi de quarto quintove ſeculis Chriſtianis: quibus id crimen illis impactum fuiſſe, clare docent quæ ſupra adduximus. Verum de his ſatis.

Fratres & Sorores ſe appellarunt priſci Chriſtiani.

IIX. Quod ſpeciatim ad Oedipodeos inceſtus attinet, ſuſpicionem aliquam illiciti concubitus Paganis moviſſe, quod fratres ſe invicem ac ſorores appellarent veteres Chriſtiani, ex Minutio Felice liquet; apud quem Cæcilius, *Occultis*, inquit, *ſe notis & inſignibus noſcunt, & amant mutuo pene antequam noverint: paſſim etiam inter eos quædam libidinum religio miſcetur: ac ſe promiſcue appellant fra-*

fratres & ſorores; ut etiam non inſolens ſtuprum interceſſione ſacri nominis fiat inceſtum. Ita eorum vana & demens ſuperſtitio ſceleribus gloriatur. Scilicet Chriſtianos ex gentilium ſuorum conſuetudine æſtimat homo Paganus, qui *fratris & ſororis* appellationibus ad tegenda ſtupra & libidines paſſim utebantur; ſic ut Martialis inde *nomina nequiora* dicere non dubitet. Ita quippe habet impuri illius epigramma IV, libri II, in Amianum:

O quam blandus es, Amiane, matri!
quam blanda eſt tibi mater, Amiane!
Fratrem te vocat, & ſoror vocatur.
Cur vos NOMINA NEQUIORA tangunt?
Quare non juvat hoc, quod eſtis, eſſe?
Luſum creditis hoc jocumque? non eſt.
Mater, quæ cupit eſſe ſe ſororem,
nec matrem juvat eſſe, nec ſororem.

Idem lib. XII, epigramm. XX, ad Fabullum:

Quare non habeat, Fabulle, quæris,
Uxorem Themiſon? habet ſororem.

Item lib. X, epigr. LXV, ad Carmenionem:

---- Deſine me vocare fratrem,
Ne te, Carmenion, vocem ſororem.

Sic apud Senecam Tragicum, in Hippolyto, act. II, 606. Phædra, cum amorem ſuum verecunde indicare vellet; ait:

Matris ſuperbum eſt nomen, & nimium potens:
Noſtros humilius nomen affectus decet.
Me vel ſororem, Hippolyte, vel famulam voca.

Apud Ovidium quoque, lib. IX Metamorph. fab. XI, Byblis, Cauno fratri ſtuprum per illecebram ſuadens, inter alia inquit:

 Dul-

Dulcia fraterno ſub nomine furta tegemus.

Et apud Petronium Circe ad Pollienum, *Si non faſtidis*, inquit, *feminam ornatam, & hoc primum anno virum expertam, concilio tibi, o juvenis, ſororem. Habes tu quidem & fratrem: neque enim me piguit inquirere: ſed quid prohibet & ſororem adoptare?* Sic Cynædus ille Cyton in iſto Petronii Satyrico viginti amplius locis *frater* in obſcœno hujusmodi ſignificatu vocatur. Pertinent inſuper huc illa Tibulli, ex libro III, eleg. I:

Hæc tibi vir quondam, nunc frater, caſta Neæra,
mittit, &, accipias munera parva, rogat.
Teque ſuis jurat caram magis eſſe medullis:
ſive ſibi conjux, ſive futura ſoror.
Sed potius conjux: hujus ſpem nominis illi
aufert extincto pallida Ditis aqua.

Senſus: Hæc tibi mittit Tibullus, ille olim futurus tibi legitimus maritus, nunc tantum amator. Vide Lipſium lib. III antiqu. lectionum.

IX. Ita quidem gentiles. At multo aliter Chriſtiani. Qui non libidinis cauſa his nominibus utebantur; ſed ut profiterentur, quod *unum Patrem Deum agnoverint*, quod *unum ſpiritum biberint ſanctitatis*; quod *de uno utero ignorantiæ ejusdem ad unam lucem expaverint veritatis*; uti loquitur Tertullianus Apolog. cap. XXXIX. Cui conſonans Octavius apud Minutium, *Nos*, ait, *quod invidetis, fratres vocamus, ut unius Dei parentis homines, ut conſortes fidei, ut ſpei coheredes.* Similiter Hieronymus adverſus Helvidium cap. IIX: *Omnes Chriſtiani fratres vocamur, quia in commune omnes homines ex uno Patre nati, pari inter nos germanitate conjungimur.* Sed & eleganter in hanc rem Baſilius

ſilius M. homilia in Lacizis habita: Πάντες συγγενεῖς, πάντες ἀδελφοὶ, ἑνὸς πατρὸς ἔκγονοι πάντες. ἐὰν τὸν πνευματικὸν ζητῇς, πατὴρ ὁ οὐράνιος, ἐὰν τὰ γήϊνα ζητῇς, μήτηρ ἡ γῆ, καὶ ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ πηλοῦ διηρτίσμεθα πάντες. ὥστε ἀδελφοὶ ἡ φύσις κατὰ σάρκα, ἀδελφοὶ ἡ γένεσις ἡ κατὰ πνεῦμα. τὸ αὐτό σοι αἷμα φορεῖ ἀπὸ τοῦ πρώτου ἀνθρώπου, τὴν αὐτήν σοι χάριν ἔλαβε παρὰ τοῦ δεσπότου. Lactantius lib. v, cap. xv, hanc appellationis iſtius affert tationem, quod omnes Chriſtiani, ſive domini ſint, ſive ſervi, reſpectu ſpiritualium, ejusdem ſint conditionis. *Non alia cauſa eſt,* ſcribit, *cur nobis invicem fratrum nomen impertiamus, niſi quia pares eſſe nos credimus. Nam cum omnia humana non corpore, ſed ſpiritu metiamur, tametſi corporum ſit diverſa conditio, nobis tamen ſervi non ſunt, ſed eos & habemus & dicimus ſpiritu fratres, religione conſervos.* Sane ut libidinibus & impuritatibus dediti fuerint priſci Chriſtiani tantũ abeſt, ut ipſi potius gentiles faſſi fuerint, quovis ſupplicio ac tormento gravius duxiſſe eos, ipſaque morte crudelius, pudicitiæ jacturam pati. Autor inter alios Tertullianus, cujus verba, ſub finem Apologetici: *Proxime ad lenonem damnando Chriſtianam potius quam ad leonem, confeſſi eſtis, labem pudicitiæ apud nos atrociorem omni pœna & omni morte reputari.* Sed de hoc alibi.

X. Quantum ad horrendam illam de ἀνθρωποφαγία calumniam, non deſunt, qui ex Euchariſtiæ myſterio, perperam a Paganis accepto, eam exortam arbitrantur. Et Oecumenius ſane ſententiæ huic aperte patrocinatur. Illuſtraturus enim verba Petri, I Epiſt. III, 16. ita ſcribit: *Cum Græci* (gentiles intelligit) *Chriſtianorum Catechumenorum ſervos apprehendiſſent, & vim facerent, ut arcanum aliquid de Chriſtianis ab his diſcerent; cumque hi*

An convitium de Thyeſtæis dapibus ex occaſione de Euchariſtia natum.

 ſervi

ſervi nihil quidem haberent, quod ad cogentium voluptatem ac gratiam dicerent, audiviſſent vero ab heris ſuis, divinam communionem eſſe ſanguinem & corpus CHRISTI, *ipſi putantes, quod revera eſſet ſanguis & caro* (τῷ ὄντι αἷμα καὶ σάρκα εἶναι) *hoc ipſum inquirentibus enunciarunt. Hi vero id ita accipientes, quaſi hoc vere & in re ipſa a Chriſtianis perageretur*, (ὡς αὐτὸ χρῆμα τοῦτο τελεῖσθαι χριστιανοῖς) *id apud alios quoque Græcos evulgabant; & Sanctum ac Blandinam, ut id ipſum confiterentur, tormentis ſubigere conabantur.* Reſpicit nimirum ad ἀγῶνας iſtorum aliorumque martyrum Lugdunenſium & Viennenſium, quorum deſcriptionem Irenæo, Lugdunenſi Epiſcopo, tribuit. At vero in iis actis (quæ legi poſſunt in Euſebii Hiſtoria Eccleſiaſtica, ſub initium libri v) id minime habetur, quod inde Oecumenius refert. Neque enim ibi dicitur, excogitatam fuiſſe hanc de Thyeſteis dapibus calumniam a Chriſtianorum ſervis herorum ſuorum de ſacra Euchariſtia ſermones male interpretantibus; ſed potius, eſſe iis ſuggeſtam ab impiis militibus. Hæc nimirum ſunt hiſtoriæ verba: τῶν στρατιωτῶν ἐπὶ τοῦτο παρορμώντων αὐτοὺς κατεψεύσαντο ἡμῶν Θυέστεια δεῖπνα, *militibus illos ad hoc incitantibus Thyeſteas cœnas contra nos mentiti ſunt.* Sed nec alias inter vetuſtiores Eccleſiæ Doctores aliquem reperias, qui portentoſi iſtius maledicti occaſionem ſacræ Synaxi imputet.

Conf ſupra num. 1.

CAPUT XIX.
DE CRIMINE LÆSÆ MAJESTATIS CHRISTIANIS IMPACTO.

Præter

PRæter *ἀθεότητα*, Deorumque & ſacrorum contemptum, etiam læſæ Majeſtatis crimen Chriſtianis impingebatur. Unde duo iſthæc, ut præcipua ethnicæ accuſationis capita, conjungit Tertullianus, Apologet. cap. x, ubi ait: *Deos, inquitis* Pagani vos ad fideles, *non colitis, & pro Imperatoribus ſacrificia non impenditis.* atque mox: *Sacrilegii & majeſtatis rei* nos Chriſtiani *convenimur. Summa hæc cauſa, imo tota eſt.* Nimirum illud læſæ Majeſtatis crimen ſacrilegio proximum fuiſſe habitum, ex Ulpiani libro vii de officio Proconſulis docetur l. 1. D. ad legem Juliam Majeſtatis. Quamvis, ut Tertullianus monet, reapſe atrocius fuerit peccatum apud infideles, ſi quis Cæſaream majeſtatem læderet, quam ſi divinam. Cum enim, uti jam dixi, duo conſtituiſſet delicta primaria, quorum rei agerentur ab idololatris Chriſtiani, violationem Deorum & Imperatoris, atque, priori expenſo, ad poſterius jam eſſet perrecturus, capite Apologetici xxiix, *Ventum eſt*, ait, *ad ſecundum titulum læſæ AUGUSTIORIS MAIESTATIS: ſiquidem majore formidine & callidiore timiditate Cæſarem obſervatis, quam ipſum de Olympo Jovem. & merito, ſi ſciatis. Quis enim ex viventibus non cuilibet mortuo potior? Sed nec hoc vos ratione facitis potius, quam reſpectu repræſentaneæ poteſtatis: adeo in iſto irreligioſi erga Deos veſtros deprehendimini, cum plus timoris humano dominio dicatis. Citius denique apud vos per omnes Deos, quam per unum genium Cæſaris, pejeratur.*

II. Quæ ultima Septimii verba quo rectius intelligantur, obſerva, gentiles unicuique mortalium ſuum aſſignaſſe Genium ſive angelum, totius vitæ ducem: quem *Pædagogum* vocat Seneca, epiſt. cx, Menander vero

Mos jurandi ethnicorum per genium Cæſaris.

Myſtagogum. Vide Ammianum Marcellinum lib. XXI, Cenſorinum de die natali cap. I, Arrianum in Epictet. lib. I, cap. XIV, Tertullianum de Anima, cap. XXXIX, Euſebium Præpar. Evangel. lib. IV, cap. IIX. Credebant proinde, etiam Imperatori cuivis ſuum eſſe genium. Per quem, cum jurare ſolerent, & ita quidem, ut ſatius ducerent, per omnes Deos pejerare, quam per unum hunc Cæſaris genium, exprobrat id ipſis dicto loco Tertullianus: quemadmodum &, in Minutii Felicis dialogo, Octavius; cujus verba: *Eſt eis tutius per Jovis genium pejerare, quam Regis.* Scilicet pejerantes per Deos non puniebantur jure civili, l. II C. de rebus creditis: contra, ſi quis per genium Principis pejeraſſet, fuſtibus caſtigabatur, l. XIII in fin. D. de Jurejurando. Videatur etiam Harmenopulus Promptuar. Juris Civilis lib. VII, tit. I.

III. Quanto autem ſanctior erat apud Paganos iſtiusmodi per genium Cæſaris jurandi formula, tanto religioſius eandem averſabantur Chriſtiani. Atque hinc illæ accuſationes, quod eſſent rei criminis læſæ majeſtatis, quod molirentur defectionem, ſimilesq; calumniæ. Quibus obviam iturus Tertullianus, libro adverſus Scapulam cap. II, oſtendit, de fide erga Imperatorē Romanumq; imperium non debere judicari ex recepto illo jurandi more: cum non deſint, qui, juramento iſtiusmodi præſtito, nihilo ſecius hoſtes Imperatorum reperti fuerint; ubi contra Chriſtiani, qui taliter jurare nolint, eos diligant, revereantur, honorent, ſalvosque velint cum toto Romano imperio. Verba illius: *Circa majeſtatem Imperatoris infamamur; tamen nunquam Albiniani, nec Nigriani, vel Caſſiani: ſed iidem ipſi, qui per genios* Cæſarum *in pridie usq;*

jura-

juraverant, qui pro ſalute eorum hoſtias & fecerant & voverant, qui Chriſtianos ſæpe damnaverant, hoſtes eorum ſunt reperti. Chriſtianus nullius eſt hoſtis, nedum Imperatoris. Confer quæ habet idem Apologet. cap. XXXII, nec non Origenes libro IIX adverſus Celſum, ubi etiam cauſas, cur non liceat Chriſtianis per genios jurare, exponunt.

IV. Quemadmodum autem non ſolum per genios Cæſarum jurabant ethnici; ſed & aliis inſuper honoribus divinis eos mactabant, ſacrificia nempe ipſis offerebant, illos adorabant, Dominoſque & Deos ſalutabant (quo de prolixe egimus in tractatu de Perſecutionibus Eccleſiæ, ſect. V, 8.) ita & hæc a Chriſtianis ſimili modo fieri volebant, ac, ſi renuerent, in majeſtatem injurios eos proclamabant, ferroque & flammis perſequebantur. Sed & hanc pudendam adulationem turpiſſimamque idololatriam, quare abominati ſint veri Dei cultores, eximie docent Tertullianus Apologet. cap. XXXIII, XXXIV, & Theophilus Antiochenus libro I ad Autolycum.

V. Ceterum quod honorem & reverentiam, quæ jure ipſis debetur, etiam Chriſtiani Cæſaribus haud negaverint, quodq; pro eorũ ſalute Deo ſupplicaverint, liquet ex his Tertulliani ad Scapulam cap. II: „Colimus Imperatorem ſic, quomodo & nobis licet, & ipſi expedit; „ut hominem a DEO ſecundum, & quicquid eſt, a DEO „conſecutum, & ſolo DEO minorem. Hoc & ipſe volet. „Sic enim omnibus major eſt, dum ſolo vero DEO „minor eſt. Sic & ipſis Diis major eſt, dum & ipſi in poteſtate ſunt ejus. „Itaque & ſacrificamus pro ſalute Imperatoris; ſed DEO noſtro & ipſius, ſed quomodo præcepit „Deus, pura prece. Quibus gemina, quæ leguntur Apologet.

„ logetici cap. xxx: Nos pro ſalute Imperatorum Deum „ invocamus æternum, Deum verum, Deum vivum: „ quem & ipſi Imperatores propitium ſibi præter ceteros „ malunt. Sciunt, quis illis dederit imperium, ſciunt, „ qua homines, quis & animam. Sentiunt, eum Deum „ eſſe ſolum: in cujus ſolius poteſtate ſunt, a quo ſunt ſe- „ cundi, poſt quem primi, ante omnes & ſuper omnes „ Deos. Quidni? cum ſuper omnes homines, qui uti- „ que vivunt, & mortuis antiſtant. ac paulo poſt: Precan- „ tes ſumus ſemper pro omnibus Imperatoribus, vitam „ illis prolixam, imperium ſecurum, domum tutam, „ exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum, „ orbem quietum; quæcunque hominis & Cæſaris vota ſunt. Confer porro cap. xxxi & xxxix, item Athenago- ram Apologia pro Chriſtianis, Cyprianum libro ad De- metrianum, Arnobium ſub finem libri iv, denique Eu- ſebium libro x Hiſt. Eccl. cap. iix, ubi de Licinio tyranno, *Chriſtianos*, inquit, *aula ſua excludit, ſeipſum miſer precibus illorum privans, quas pro eo ad Deum fecerant, quæque pro o- mnibus ex patria diſciplina facere conſueverunt.*

Caput XX.

De Christianorum Α-ΧΡΗΣΤΙΑ.

INſuper & inertia Chriſtianis objecta eſt; quodque inu- tilia eſſent terræ pondera, nec ullum rebus humanis commodum afferrent, ipſis fuit exprobratum. Ita conſtat ex Tertulliano, qui in Apologetico, cap. xlii, diſerte

diſerte: *Sed alio quoque injuriarum titulo poſtulamur, & infructuoſi in negotiis dicimur.* Abſque dubio huc etiam reſpicit Svetonius, dum, in vita Domitiani cap. xv, Flavium Clementem (quem Chriſtianum fuiſſe, in tract. de Perſecutionibus Eccleſiæ, ſect. 11, 6. e Dione Caſſio oſtendimus) hominem vocat *contemptiſſimæ inertiæ.* Merito autem miratur Tertullianus, laudato loco, qua fronte Pagani iſtud convitium in Chriſtianos projiciant, qui utiq; cum ipſis degant, *ejusdem victus, habitus, inſtructus, ejusdem ad vitam neceſſitatis?* Neque enim, ait, *Brachmanæ aut Indorum Gymnoſophiſtæ ſumus, ſylvicolæ & exules vitæ. Meminimus, gratiam nos debere Domino Deo creatori: nullum fructum operum ejus repudiamus. Plane rem temperamus, ne ultra modum aut perperam utamur. Itaq; non ſine foro, non ſine macello, non ſine balneis, tabernis, officinis, ſtabulis, nundinis veſtris, ceteriſque commerciis cohabitamus in hoc ſeculo. Navigamus & nos vobiſcum, & militamus, & ruſticamur, & mercamur: proinde miſcemus artes, opera noſtra publicamus uſui veſtro. Quomodo,* concludit proinde, *infructuoſi videamur negotiis veſtris, cum quibus & de quibus vivimus, non ſcio.*

11. Interim mox indicium idem facit Septimius, quid forte impulerit gentiles, ut infructuoſos dicerent Chriſti ſervos: nempe quia nonnulla, quæ pro illicitis reputabant, communia cum ipſis habere recuſarent. Ita
,, nimirum pergit: Sed ſi ceremonias tuas non frequen-
,, to, attamen & illa die homo ſum. Non lavor diluculo
,, Saturnalibus, ne & noctem & diem perdam: attamen
,, lavor honeſta hora & ſalubri, quæ mihi & calorem &
,, ſanguinem ſervet. Rigere & pallere poſt lavacrum mor-
,, tuus poſſum. Non in publico Liberalibus diſcumbo,

,, quod beſtiariis ſuprema cœnantibus mos eſt: attamen
,, ubique de copiis tuis cœno. Non emo capiti coronam.
,, Quid tua intereſt, emptis nihilo minus floribus quomo-
,, do utar? Puto gratius eſſe liberis, & ſolutis, & undique
,, vagis. Sed & ſi in coronam coactis, nos coronam nari-
,, bus novimus; viderint qui per capillum odorantur.
,, Spectaculis non convenimus: quæ tamen apud illos
,, cœtus venditantur, ſi deſideravero, liberius de propri-
,, is locis ſumantur. Thura plane non emimus. Si Ara-
,, biæ queruntur, ſciant Sabæi, pluris & carioris ſuas mer-
,, ces Chriſtianis ſepeliendis profligari, quam Diis fumi-
,, gandis. Certe, inquitis, templorum vectigalia quoti-
,, die decoquunt, ſtipes quotusquisque jam jactat. Non
,, ſufficimus & hominibus & Deis veſtris mendicanti-
,, bus opem ferre, nec putamus aliis quam petentibus
,, impertiendum. Denique porrigat manum Jupiter, &
,, accipiat; cum interim plus noſtra miſericordia inſumat
,, vicatim, quam veſtra religio templatim. Sed cetera
,, vectigalia gratias Chriſtianis agunt ex fide dependenti-
,, bus debitum, qua alieno fraudando abſtinemus: ut, ſi
,, ineatur, quantum vectigalibus pereat fraude & menda-
,, cio veſtrarum profeſſionum, facile ratio haberi poſſit,
,, unius ſpeciei querela compenſata pro commodo cete-
rarum rationum. Multa his ſimillima legas apud Minutium Felicem. Inter alia de floribus & coronis hæc ibi Octavius: *Quis ille, qui dubitat, vernis indulgere nos floribus, cum capiamus & roſam veris, & lilium, & quidquid aliud in floribus blandi coloris & odoris eſt? his enim & ſparſis utimur mollibus ac ſolutis, & ſertis colla complectimur. Sane quod caput non coronamus, ignoſcite. Auram boni floris naribus ducere, non*

occi-

occipitio capillisve ſolemus haurire. Sed ad Tertullianum revertamur.

III. Monet ille porro, in pravis operibus Chriſtianos omnino frigidos eſſe ac inertes; ſed illam inertiam compenſari ab ipſis ſedulitate & induſtria laudabili, quam in operibus bonis & honeſtis peragendis adhibeant. Pla„ ne, inquit, confitebor, qui conqueruntur. Nam ſi qui „ forte vere de ſterilitate Chriſtianorum conqueri poſ„ ſint, primi erunt lenones, perductores, aquarioli; tum „ ſicarii, venenarii, magi, item arioli, aruſpices, Mathe„ matici. His infructuoſos eſſe magnus fructus eſt. Et „ tamen, quodcunque diſpendium eſt rei veſtræ per hanc „ ſectam, cum aliquo præſidio compenſari poteſt: quan„ do habetis, non dico, jam qui de vobis dæmonia excu„ tiant; non dico, jam qui pro vobis quoque vero Deo „ preces ſternant: quia forte non creditis; ſed a quibus ni„ hil timere poſſitis.

IV. Tandem accuſationem de ἀχρηστίᾳ in ipſos Paganos retorquet, eos eſſe dictitans, qui magnum reipublicæ detrimentum afferant, dum tot juſtis optimisque viris, Chriſtianis videlicet innocentibus, eam orbent. Il„ lud, ait, detrimentum reipublicæ tam grande quam ve„ rum nemo circumſpicit, illam injuriam civitatis nullus „ expendit, cum tot juſti impendimur, cum tot inno„ centes erogamur. Veſtros enim jam conteſtamur actus, „ qui quotidie judicandis cuſtodiis præſidetis, qui ſenten„ tiis elogia diſpungitis. Tot a vobis nocentes variis cri„ minum elogiis recenſentur. Quis illic ſicarius? quis „ manticularius? quis ſacrilegus, aut corruptor, aut lavan„ tium prædo? quis ex illis etiam Chriſtianus adſcribitur?

aut

aut cum Chriſtiani ſuo titulo offeruntur, quis ex illis eti-
,, am talis, quales tot nocentes? De veſtris ſemper æſtuat
,, carcer, de veſtris ſemper metalla ſuſpirant, de veſtris
,, ſemper beſtiæ ſaginantur, de veſtris ſemper munerarii
,, noxiorum greges paſcunt. Nemo illic Chriſtianus, ni-
,, ſi plane tantum Chriſtianus; aut ſi & aliud, non jam
Chriſtianus. Rurſum gemina his, imo eadem, habentur apud Minutium Felicem. Ait quippe ibi Octavius: *De veſtro numero carcer exæſtuat: Chriſtianus ibi nullus, niſi aut reus ſuæ religionis, aut profugus.* Sic item Lactantius lib. v, cap ix: *Non de noſtro, ſed ex illorum numero, ſemper exiſtunt qui vias obſideant armati, maria prædentur, vel, ſi palam graſſari non licuit, venena clam temperent; qui uxores necent, ut dotes earum lucrentur, aut maritos, ut adulteris nubant; qui natos ex ſe pueros aut ſtrangulent, aut, ſi nimium pii fuerint, exponant; qui libidines inceſtas nec a filia, nec a ſorore, nec a matre, nec a Sacerdote contineant; qui adverſus cives ſuos patriamque conjurent; qui nec culeum metuant; qui deniq; ſacrilegia committant.* Confer Tertulliani librum ad Scapulam cap. II.

Caput XXI.

De Artibus Christianorum Sordidis.

SEd & hoc nomine Chriſtianos irridet Cæcilius apud Minutium, quod ſint *artium ſordidarum*, ſive, quod manibus laborent, vilibusque opificiis victum quærant. Unde & Octavium, hominem Chriſtianum, piſtorem per contemptum appellat. Dum enim in Chri-

ſti

STI ſervos prolixe declamaſſet, multisque eos calumniis & injuriis oneraſſet, tandem, *Et quid ad hæc*, inquit, *audet Octavius, homo Plautina proſapia, ut piſtorum præcipuus, ita poſtremus Philoſophorum*? Eodem nonnulli referunt iſta Juvenalis, ſatyra IV, 153. de Domitiano:

Sed periit, poſtquam cerdonibus eſſe timendus
cœperat, ...

Cerdones enim heic Chriſtianos eſſe putant; ut ſenſus ſit, obiiſſe tyrannum, ubi in Eccleſiam ſævire incepiſſet. Quanquam diſpliceat interpretatio illa Caſaubono, prolegom. in Exercitationes anti-Baronianas.

II. Ortum vero hoc de ſordidis artibus ſcomma dubio procul inde, quod Chriſtiani veteres ex diſciplinæ ſuæ præſcripto opere quotidiano alimenta quærebant. Quam in rem videſis Act. XIIX, 3. Baſilium M. in Regulis fuſe explicatis, quæſt. XXXVII, (apud quem & alias in ἀσκητικοῖς non ſemel illa veterum Monachorum ἐργόχειρα ſive χειρέργια memorantur) Hieronymum epiſt. IV, ad Ruſticum Monachum, cap. V, & de Regulis Monachorum, cap. XIIX, Auguſtinum libro de opere Monachorum, Caſſianum de ſpiritu acediæ cap. VII, ſeq. Chryſoſtomum homil. II in Epiſtolam ad Romanos, Epiphanium hæreſ. LXXX. Apud Romanos autem omne opus, quod manibus elaborabatur, turpe ac probroſum erat, artesque ſellulariæ & ſordidæ ſolis ſervis exterisque exercendæ tradebantur; idque ex præſcripto Romuli; de quo Dionyſius Halicarnaſſeus lib. II Antiqv. Rom. cap. XXIX: *Sellularias, ac ſordidas, & turpium cupiditatum incitatrices artes, ut corporibus atque animis tractantium noxias & peſtiferas, ſervis & exteris exercendas tradidit; longoque tempore pudori fuerunt Romanis opera talia, ita ut nemo*

ex indigenis animum ad eas applicaret. Ita, inquam, de Romulo Halicarnaſſeus; qui & lib. IX, cap. XXXI, ſcribit: *Nemini civi Romano cauponari, aut arte manuaria victum quærere licebat.* Sic item Plato, lib. V de Legibus, ſordidas artes ex bene conſtituta civitate ejicit. *Quæſtus*, ait, *in hac civitate non multus. Neque enim oportet in ea, neque licet, illiberali quæſtui quenquam incumbere, neque mechanicum illud & infame quærere lucrum, quod mores generoſos inquinat, neque exiſtimare, ullo pacto vilibus ex rebus & turpibus pecunias cumulandas.* Pari modo & Socrates, apud Xenophontem lib. IV Memorabilium, qui Mechanicas artes tractant, *ἀνδραποδώδεις* vocat, ſeu *ſerviles*, & (ut ſic dicam) *mancipiales*. Confer eundem Xenophontem in Oeconomico cap. VII. Theſpienſes etiam turpe cenſuiſſe, artem didiciſſe, vel arvo ſtuduiſſe, obſervat Cœlius Rhodiginus, lib. XXI Lect. antiqv. cap. XLIIX.

CAPUT XXII.

DE MALIS ET CALAMITATIBUS PUBLICIS CHRISTIANISMO IMPUTATIS.

QUemadmodum mala culpæ (ut in ſcholis loquimur) hoc eſt, grandia quæque crimina ac horrenda facinora, Chriſtianis affingebant idololatræ ſic & mala pœnæ, omnia, inquam, infortunia, quibus humanum genus premebatur, iisdem imputabant. Clare id docet Tertullianus, cujus verba, Apologet. cap. XL: *Illis nomen factionis accommodandum eſt, qui*

qui in odium bonorum & proborum conſpirant, qui adverſus ſanguinem innocentium conclamant, prætexentes ſane ad odii defenſionem illam quoque vanitatem, quod exiſtiment, omnis publicæ cladis, omnis popularis incommodi, Chriſtianos eſſe cauſam. Si Tiberis aſcendit in mœnia, ſi Nilus non aſcendit in arva, ſi cœlum ſtetit, ſi terra movit, ſi fames, ſi lues, ſtatim Chriſtianos ad leonem. Similia habet libro I ad Nationes cap. IX. Sed & apud alios autores priſcos calumniæ hujus paſſim mentio. Ita Origenes in Matthæum cap. XXIV, tract. XXIIX: *Propter multitudinem Chriſtianorum dicunt fieri bella, & fames, & peſtilentias. Frequenter enim famis cauſa Chriſtianos culparunt gentiles, & quicunque ſapiebant quæ gentium ſunt. Sed & peſtilentiarum cauſas ad* CHRISTI *Eccleſiam retulerunt. Scimus autem & apud nos terræ motum factum in locis quibusdam, & factas fuiſſe quaſdam ruinas, ita ut, qui erant impii extra fidem, cauſam terræ motus dicerent Chriſtianos; propter quod & perſecutiones paſſæ ſunt eccleſiæ & incenſæ ſunt.* Arnobius libro I: *Quid eſt iſtud, quod dicitur, invectam eſſe labem terris, poſtquam religio Chriſtiana intulit ſe mundo, & veritatis abſconditæ ſacramenta patefecit?* item: *Peſtilentias, inquiunt* Pagani, *& ſiccitates, bella, frugum inopiam, locuſtas, mures, & grandines, resque alias noxias, quibus negotia incurſantur humana, Dii nobis important, injuriis veſtris atque offenſionibus exaſperati.* Paulo poſt: *Nobis objectare conſuetis bellorum frequentium cauſas, vaſtationes urbium, Germanorum & Scyticas irruptiones.* Similia alibi paſſim habet Arnobius. Nec mirum: ſiquidem hæc ipſa calumnia anſam ei dedit ſcribendi ſuos illos adverſus Gentes libros; quemadmodum ſub initium eorum indicat. Quo„niam comperi, inquiens, nonnullos, qui ſe plurimum

ſapere

„ ſapere ſuis perſuaſionibus credunt, inſanire, bacchari,
„ & velut quiddam promptum ex oraculo dicere: poſtquam eſſe in mundo Chriſtiana gens cœpit, terrarum orbem periſſe, multiformibus malis affectum eſſe genus humanum: ipſos etiam Cœlites, derelictis curis ſolemnibus, quibus quondam ſolebant inviſere res noſtras, terrarum ab regionibus exterminatos: ſtatui pro captu ac mediocritate ſermonis contraire invidiæ, & calumnioſas diſſolvere criminationes; ne aut illi ſibi videantur, popularia dum verba depromunt, magnum aliquid dicere aut, ſi nos talibus continuerimus a litibus, obtinuiſſe ſe cauſam putent, victam ſui vitio, non aſſertorum ſilentio deſtitutam.

II. Eadem impulerunt Auguſtinum, ut celebres illos & multijugæ eruditionis copia prægnantes de Civitate Dei libros concinnaret; veluti ex iis, quæ de hoc opere ipſe autor lib. II Retract. cap. XLIII diſſerit, manifeſtum. Gothis nimirum & Vandalis Romanum imperium affligentibus, quin ipſa Roma ab Alarico, Gothorum Rege, capta, tantas clades non pauci religioni Chriſtianæ, per quam veterum Deorum cultus antiquatus eſſet, imputabant. Quippe vigente idololatria floruiſſe imperium ajebant, labefactata, ipſum quoque labefactari cœpiſſe, & in diras calamitates præcipitaſſe. Huic blaſphemiæ libros de Civitate Dei Auguſtinus, ceu diximus, oppoſuit. Quibus perficiendis quum intentus eſſet, Paulum Oroſium, Presbyterum Hiſpanum, ad ſcribendam eodem fine hiſtoriam, Paganis opponendam, excitavit & impulit; uti ex ipſa præfatione, quam operi ſuo Oroſius præmiſit, (cum qua conferri poteſt lib. I, cap.

cap. IIX, lib. IV, cap. VI, & XXIII, lib. VII, cap. XVI) videre eſt. Qui proinde, collectis a mundi exordio ad ea uſque tempora in unum veluti faſcem, & digeſtis hiſtoriis, ſecundum annorum ſucceſſiones, omnis ævi, in os Paganis ſuos oggerit rerum geſtarum conditores, ut, Annalibus perpetui temporis inſpectis, cognoſcerent, nullo non tempore tales ipſis majoribuſque ipſorum clades accidiſſe, quales nunquam non aliis quibuslibet cauſis imputaſſent, tum vero, Chriſtiani dogmatis veritate inclareſcente, rabioſa temeritate veri DEI cultui ingerebant.

III. Idem quoque argumentum ex profeſſo tractat Cyprianus in eximio libro ad Demetrianum, Africæ Præfectum ethnicum. Cui jungi poteſt Epiſtola, quam in controverſia de Baptiſmo hæreticorum, contra Epiſtolam Stephani, Epiſcopi Romani, ad Cyprianum dedit Firmilianus, Cæſariæ in Cappadocia Epiſcopus; quæque in editione Epiſtolarum Cypriani Pameliana eſt LXXV, omiſſa autem in editione Manutii. Vide etiam porro hac de re edictum Antonini Pii, quod legitur ad calcem Apologiæ, quam ad memoratum Imperatorem ejuſque filios ac Senatum Romanum pro fide Chriſtiana ſcripſit Juſtinus Martyr, & apud Euſebium lib. IV Hiſtor. Eccl. cap. XIII, (ubi tamen perperam, neſcio quo errore, loco Antonini Pii Marcus Aurelius edicti autor nominatur) nec non Maximini, quod rurſum Euſebius exhibet, libro IX, cap. VII: ſed & Auguſtinum, lib. II de Civ. Dei, cap. II & III, item in Pſ. LXXX, ſerm. LIX, epiſt. V, ad Marcellinum.

IV. Obiter nota, quod calumniam de Chriſtianiſmo, ut omnium malorũ & adverſitatum cauſa, non ſolum primæ illius antiquiſſimæq; Eccleſiæ ætate religio noſtra

 ſit

ſit experta, ſed & diu poſt. Exemplum ſuppeditat Daniel Cramerus, in Chronico Pomeraniæ eccleſiaſtico cap. xxiix, quando ſcribit, Stetinenſes, qui ſub Henrico V fidem Christi fuerant amplexi, paulo poſt ab eadem rurſum deſciviſſe occaſione peſtis, qua ob excuſſum gentiliſmum divinitus ſe affligi, perſuaſi ab ethnicis Sacerdotibus, credebant. Verba Crameri: Es kam urſach und gelegenheit jhres abfals daher / daß ein groß ſterben unter jhnen einfiel. Da geriethen ſie an die meinung / wurden auch von den Heidniſchen biß daher heimlich gehaltenen Pfaffen dahin beredt / daß ſolche ſtraffe der neu angenommenen Lehr halben auff ſie kommen were; Derowegen ſie ermahnet den alten Gebrauch wieder anzurichten.

CAPUT XXIII.

DE MISERA CHRISTIANORUM SORTE A PAGANIS EXAGITATA.

Cum viderent gentiles, malis multis variisque miſeriis Chriſtianos vexari, etiam hoc nomine iis inſultabant, quodque verum omnipotentem Deum haud colerent, inde elicere ſatagebant. Ita quippe Paganos ſiſtit loquentes Arnobius ſub finem libri II: *Cum omnipotenti ſervitis Deo, & eum habere confiditis ſalutis atque incolumitatis veſtræ curam, cur perſecutiones patitur perpeti vos tantas, atque omnia genera pœnarum & ſuppliciorum ſubire?* Sic iidem ethnici apud Lactantium lib. v, cap. XXI: *Cur Deus ille ſingularis, ille magnus, quem rerum potentem, quem Dominum omnium confiteris, hæc fieri patitur, nec cultores ſuos vindicat, aut tuetur? cur denique, qui eum*

non

non beati, & opulenti, & potentes, & beati ſunt, & honoribus regnoque potiuntur, eosque ipſos ditioni ſuæ ac poteſtati ſubjectos habent? Similia evomit Cæcilius apud Minutium Felicem. Cui tamen eleganter reſpondet Octavius: *Quod corporis humani vitia ſentimus & patimur, non eſt pœna; militia eſt. Fortitudo enim infirmitatibus roboratur, & calamitas ſæpius diſciplina virtutis eſt: vires denique & mentis & corporis ſine laboris exercitatione torpeſcunt. — Itaque nobis Deus nec non poteſt ſubvenire, nec deſpicit; cum ſit & omnium rector, & amator piorum: ſed in adverſis unumquemque explorat & examinat, ingenium ſingulorum periculis penſitat, uſque ad extremam mortem voluntatem hominis ſciſcitatur, nihil ſibi poſſe perire ſecurus. Itaque UT AURUM IGNIBUS, SIC NOS DISCRIMINIBUS ARGUIMUR.* Sir. 2, 5. Confer porro, quæ fuſe, &, ut ſolet, eleganter hanc in rem diſſerit Lactantius lib. v, cap. xxii, ac junge quæ habent Arnobius dicto loco, Juſtinus Martyr in Apologiis, Clemens Alexandrinus lib. iv Strom. Auguſtinus lib. i de Civ. Dei cap. xxix, Tertullianus Apolog. cap. ultimo, Eccleſiæ Gallicæ apud Euſebium lib. v Hiſt. Eccl. cap. i, aliique Doctores vetuſti.

CAPUT XXIV.
DE INVISO CHRISTIANORUM NOMINE.

SIc ergo nunc patet, quam ſit verum quod ait Tertullianus Apolog. cap. ii, ſi Paganorum judicio ſtandum, *Chriſtianum hominem omnium ſcelerum reum, Deorum, Imperatorum, legum, morum, naturæ totius inimicum.* Subjungit vero ſtatim idem Septimius, non tantum hujusmodi